

PHILIPPI

MELANCHTHONIS MO=
ralis Philosophiæ
Epitome.

ITEM IN QVINTVM LI=
brum Ethicorum Arist: Commentarius, re
cognitus à Philippo & in qui=
busdam locis omnino
renouatus.



Cum Gratia & Priuilegio Imp.

PHILIPPI

ANTHONY'S NO.

PHILIPPI

PHILIPPI

PHILIPPI

PHILIPPI


PHILIPPI

PHILIPPI



73041

PHILIPPI



*Quid regni
ad hanc de
moribus.*

om

XB biscum, tamen ad multa officia iu-
dicanda, & ad perspiciendum ue-
rum discrimen iustarum & iniu-
starum actionum, & ad fontes ea-
rum intelligēdos, arte & quadam
eruditore doctrina haud dubie
opus est. Inspicienda est natura ho-
minis, considerandum quis sit or-
do partium, quod munus à natu-
ra singulis attributum: deniq; cau-
sæ propriæ actionum quærendæ
sunt. Socrates ipse cum de provi-
dentia apud Xenophōtem dispu-
tat, uestigia diuinitatis in natura
colligit & demonstrat, ut per-
suadeat non solum esse Deum, sed
etiam Deo curę esse res humanas.
Harum disputationū fontes sunt
in physicis. Itaq; ut Xenophon ex-
cusat Socraten, ita nos quoq; cum
hanc partem Philosophiæ de mo-
ribus

ribus tradimus, non uolumus ab-
duci iuuentutem à reliqua Philo-
sophia, sed inuitare potius, eo quò
initio operis commonefaciendos
esse lectores duxi, ut cogitent & ar-
te opus esse in doctrina de mori-
bus, & hanc ceu riuulum esse ex
Physicis manantem. Quare nemi-
nem sine cæteris Philosophiæ par-
tibus artificem in hoc genere fieri
posse existiment. Cum autem in
hac parte quæ Legum & Iuris fon-
tes cõtinet, ex qua mutuantur ple-
raq; præcepta, non solũ Iuriscon-
sulti, sed etiam Theologi, quoties
de moribus & ciuili consuetudi-
ne uitæ disputant, elaborandum
sit, ^{quod in aliis dicitur} ut certe magnitudo utilitatis
postulat, si non umbram artis, sed
solidam doctrinã expetimus, pro-
fecto & reliquam Philosophiam
3 adiungi

*Philosophia
est ad iungenda
ubi can.*

adiungi necesse erit. Proinde in
hac Epitome, & si non procul eua
gari uolui, tamē multos locos hoc
consilio reuocaui ad Physicas ra
tiones, ut exempla ostenderēt has
disputationes de moribus sine res
liqua Philosophia mutilas & trun
catas esse. Deinde ita statuo, ne qui
dem mores fieri mitiores, nec id
quod proprie uocant *ἠθικόν*, uide
licet moderationem ac suauitatem
effici posse, nisi ad uulgaria præce
pta accesserit liberalis doctrina,
qua expoliti atq; assuefacti ueras
causas officiorum prospicere, &
actiones omnes ratione modera
ri, & quadam cōdire suauitate atq;
elegantia possimus. Cuius rei tan
ta uis est, ut si natura mediocris
hoc modo instituta atq; assuefa
cta fuerit, multo sit non solum in
priuata

*qd. pa. dicitur in
lecta. et. res.
sine libera. lei.
dicitur.*

privata consuetudine dulcior, sed
etiam in maximis Reipub^l. nego-
cijs moderatior ac diligentior.
Quantas enim tempestates, quan-
tas procellas interdum cient ho-
mines inepti, non aliam ob cau-
sam, nisi quia hoc doctrinae gene-
re non sunt exculti, seu ut Græci
uocant, sunt ἀνδοποίντοι. Cum igitur
Aristotelis Ethica enarrarem,
addidi hunc Commentarium,
in quo non solum sententiam Ari-
stotelis, sed methodum etiam se-
quor: uerum ita, ut quasdam ad-
diderim disputationes nostris tē-
poribus magis aptas, quas qui-
dem collegi, & quod moribus
prodesse eas arbitrabar, & quod
formāt iudicia de multis commu-
nibus negocijs, ac præparant stu-
diosos ad Ius Ciuile, & ad eam par-

tem doctrinae Theologiae, quae con-
tinet precepta de civilibus officiis.
Scio quosdam mirari alias sectas.
Nam Stoicos suspiciunt nonnulli
tanquam semideos. Valla cum reli-
quos Philosophos rabiose exagi-
tet, Epicuro tamen non obscure
plausum dat. Ego uero qui has ses-
ctarum controversias diu mul-
tumque agitavi, *ἔγω γὰρ κατὰ σοφῶν,*
ut Plato facere praecipit, ualde ad-
hortor adolescentes, ut repudiant
Stoicis & Epicureis, amplectan-
tur Peripatetica. Nam etiam cum
gnauiter defenduntur, & ut ita di-
cam, mangonizantur Epicurea &
Stoica, necesse est plurimum admi-
sceri Sophisticas, iuxta illud Euri-
pideum *ὁ δὲ ἄδικος λόγος, νοσῶν ἐν ἑνὶ
τῷ φαρμάκῳ δὲ ἵται σοφῶν.* Porro
& moribus nocent falsae opinio-
nes

nes & ipsa consuetudo sophistices
multis modis perniciosa est, cor-
rumpit iudicia, abducit animos
ab amore & studio proprietatis
& simplicis ueritatis, assuefacit in-
genia ut ament monstrosas opi-
niones, ut non explicare res sed in-
uolueri studeant. At in Aristotele
methodus gubernat disputatio-
nem, & quasi intra metas coher-
cet, ne à demonstrationibus & à
recta uia deerretur, quare eruit ue-
ras sententias, easq; ordine & pro-
prie explicat. Proinde & propter
ueras sententias, & propter metho-
di exemplum Peripatetica sunt uti-
liora. Aristoteles ipse inquit, repu-
diandas esse opiniones, quarū nul-
lus est usus in uita & moribus. Ta-
les autem sunt Stoicę multæ, uideli-
cet de Apathia, de Fato, & pleręq;
alia,

alie. Et cum quispiam gloriaretur
se multos annos audisse Carnea-
den, alius quidam subiecit, non
quamdiu audisset spectandū esse,
sed an senem audisset, cū iam Car-
neadis disputationes, nō ad osten-
tationem & captandos plausus cō-
paratæ essent, sed ad utilitatem, &
ad rerum explicationem, seu ut
Plutarchus ait, πρὸς τὸ γινώσκειν καὶ νοεῖν
ὡφελιμῶν. Cum igitur in deligendo
doctrinæ genere, recta, uera, sim-
plicia, firma, explicata, utilia uitæ
eligenda sint, censeo tenera inge-
nia præcipue imbuenda esse Aris-
totelica doctrina, quæ his dotibus
uincit reliquas sectas. Quid quod
hoc nomine etiam amanda sunt
Aristotelis Ethica, quod unus uis-
dit ac deprehendit uirtutes esse me-
diocritates: qua descriptione eru-
ditissime

ditissime monet impetus animo
rum ad moderationem flectēdos
& retrahendos esse : Etsi autē ad
hunc libellum perpoliendum de
fuit mihi tempus, tamen cum res
complexus sim admodum utiles,
non repugnaui his qui editionem
flagitabant. Quod autem in dispu
tando sæpe angustas & pueriles
dialecticorum formulas imitatus
sum, hoc feci consilio, ut exempla
Methodi, & dialecticarum præce
ptionum etiam in his materijs iu
cundioribus proponerem. Et hanc
docendi rationem scholis utilem
esse iudico, assuefacit enim inge
nia ad proprietatem in explican
do, quæ in magnis & grauibus
causis imprimis necessaria est. *Ti*
bi uero, mi Pontane, dedicaui hos
commentariolos. Primum, quia
cum

*Hic incipit Epistola
de libello Pontani*

cum patri tuo uiro clarissimo plurimum debeam, existimabam ei gratam fore hanc significationem mei erga te studij. Deinde cum & de tuo ingenio bene sentiam, ad te scribere præcipue uolui, ut & te & æquales tuos, auditores nostros admonerem, hoc doctrinæ genus in primis ad adolescentiam pertinere. Etenim quantum decus sit, quanta pulchritudo huius moderationis in moribus, quam propriæ uocamus ἀδικίης, ne quidem intelligi potest, nisi inde usq; ab adolescentia imbuantur animi hac liberali doctrina, & impetus frenare ac regere discant. Porrò hæc pulchritudo intelligi facilius potest, cum commonefacti præceptis exemplis etiam intuemur, in quibus eximia uirtus lûcet. Actibi quidē domesti

*Commen. datus
huius dicitur de moribus
tibi.*

domesticum exemplum contigit
absolutissimum, uidelicet patris ex
cellens in omni officio moderatio
& uirtus, in quo cum ad ingenij
præstantiam accesserint doctrina
multarum magnarum artium, elo
quentia omni oratoria laude cu
mulata, & Reipub. regendæ scien
tia, his dotibus quantum addit de
cus, ipsius, ut ita dicam actio. Lu
cet enim in eo peculiaris quædam
in omni officio moderatio & ue
nustas, propter quam cætera inge
nij ornamenta plus habent & digni
tatis & gratiæ. Et si autem naturæ
magna uis est, tamen hanc ^{ἀδύνατον}
elegantiā, sine uarietate doctri
næ, sine literis consecutus non
erat. Vides quanto flagret studio
maximarum artium. Ad Iuris scien
tiam, in qua excellit, adiungit tan
tum

tum studium doctrinae Christianae, ut eam & intelligat optime, & summa pietate colat. Quanta in eo cognoscendae historiae omnium aetatum auiditas: Itaque ut Homerus copiam atque ubertatem in Vlyssis oratione praedicat, adeo, ut hybernis niuibus eam conferat, ita patris tui Gregorij, eloquentia instructa ingenti copia & uarietate doctrinae summam habet apud omnes intelligentes admirationem. Has tantas laudes, mirifice ornat illa in moribus harmonia & moderatio quam uocamus *ἀδίκη*. Ego quidem quoties eum intueor, uiderere mihi aliquem ex ueteribus illis heroicis uiris uideor, qui propter sapientiam, doctrinam, eloquentiam, scientiam politicam, morum grauitatem atque elegantiam, in Re pub.

pub . primas tenuerunt, qualem
Romæ Lelium aut Crassum, aut
Ciceronem, Athenis Periclem &
quosdam alios fuisse legimus. In-
tueberis igitur in patrem, mi Pon-
tane, tota mente ac toto animo, &
cum illam in moribus pulcherri-
mam speciem intelligere disces, &
effingere conaberis, etsi enim exē-
plum comune est omnibus, tamē
quia te attingit propius, efficacius
mouere animum tuum debet. Ex-
timulet te autoritas paterni nomi-
nis. Existimo & quædam in te se-
mina harum uirtutum propagata
esse, quæ te arte ac ratione fouere,
excitare, & conformare decet. Si-
mul etiam cogitabis tantum decus
patrem non potuisse consequi,
quanquam multum ualet natura,
nisi hūc literis & doctrinæ uarieta-
te ex

te expoliſſet. Quare omnibus in-
genij atq; animi uiribus incumbes
in hãc doctrinam, cuius acerrima
ſtudia domi tuæ uides: quod qui
dẽ, ut maiore cura facias, etiã Res
pub. te adhortetur, cui cum his li-
teris atq; artibus, quibus te pater
deſtinauit, opus ſit, omni te contẽ-
tione animi præpares, ut aliquan-
do ingenium tuum Reipub. uſui
eſſe poſſit, tuq; in patris cre-
ſcas munera magna tui,

Bene uale. Vui
tebergæ.

M. D. XXXVII.



In

EPITOME

PHILOSOPHIAE MORALIS

PHILIPPI MELAN-

chthonis.

QVID EST PHILOSOP-

phia moralis.



EST NOTITIA LEGIS
naturae & conclusionum, quae ex
illa in demonstrationibus sequitur,
de moribus, & omnibus honestis
actionibus humanis. Ideoq; ad Me-
thodum seu scientiae uel artis formam reuocata sunt
praecipua de moribus, ut cum fontes intelligerentur
& teneremus demonstrationes, iudicari posset,
quae praecipua sunt firma, certa, & immutabilia, &
quae actiones necessario requirantur in homine.

QVID INTEREST INTER

Philosophiam & Euangelium.

Valde opus est adolescentes moneri de discrimine Philosophiae & Euangelij. Nam cum haec genera doctrinae inter se miscentur & confunduntur, multos & non ferendos errores confusio

A illa

E P I T O M E

illa parit. Ita autem facillime potest intelligi & perspicui discrimē, si monstretur discrimē legis & Euāgelij. Est enim Euāgelij proprius locus, promissio quæ gratis propter Christū, pollicetur nobis remissionem peccatorum & reconciliationem. Et hæc promissio nec insita est naturæ mentis humanæ, nec deprehensa ratione, sed tantum in uerbo reuelata diuinitus. Sicut Ioannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. At Lex Dei est doctrina quæ præcipit quales nos esse oporteat, & quæ opera erga Deum & homines præstanda sint. Nec est promissio gratis pollicens remissionem peccatorum, nec statuit nos Deo placere, cum legi non satisfacimus, sed requirit perfectā obedientiā. Proinde quare opus sit promissione Euāgelica de remissione peccatorum, non est obscurum.

Ita Philosophia non est promissio Euāgelica, nec docet de remissione peccatorum, nec docet quo modo Deus approbet indignos, aut donet uitā æternam propter Christum. Nihil de Christo concionatur, aut de beneficijs Christi. Est igitur aliud doctrinæ genus Euāgelium, aliud Philosophia. Sed Philosophia moralis, pars est legis diuinæ. Est enim ipsa lex naturæ ab ingeniosis hominibus animaduersa & explicata, sicut ingeniosi homines deprehenderunt initia Arithmetices in mentibus humanis, po

nis, postea proportionū uarietatem redegerūt in artem. Constat autē legē naturæ esse ipsam legem Dei de his uirtutibus quas ratio intelligit. Nec alia aptior aut uerior definitio excogitari potest, quā si definiamus Philosophiam moralem esse partem legis diuinæ, seu decalogi, quatenus eam ratio peruidet. Nam etsi lex diuina impressa est naturæ hominis, tamē in hac imbecillitate non satis perspicit ratio, ea quæ præcipit lex de spiritualibus motibus erga Deum, & de perfecta obedientia, non intelligit concupiscentiam peccatū esse, sed manet iudicium de actionibus ciuilibus, quod ipsum tamen est lex naturæ, & pars legis diuinæ. Nec habet humana natura quidquam præstātius aut dignius. Estq; hæc uera & amplissima laus Philosophiæ moralis, quod pars est legis diuinæ. Voco autem Philosophiā, non omnes omnium opiniones, sed certas noticias, uide licet principia & demonstraciones. Hæ noticias cum sint animaduersio operum atq; ordinationis Dei, sunt ueræ, & lumen diuinitus mostratū hominibus sicut in Arithmetica ueræ sunt noticias, quod bis quatuor faciant octo. Vt enim in Arithmetica aut Geometria, sunt principia certa & firma, ex quibus oriuntur demonstraciones, ita sunt in practicis materijs seu moralibus, principia quædam & demonstraciones certæ. Hæc in initio breuiter monui, ne

A 2 confusa

cōfundatur hæc genera doctrina, Euāgelii, & Phi-
loſophia, neue obruatur uera laudes Philoſophia.

EST NE CONCESSVS VSVS
huius doctrinae Christianis?

MAxime . Vt enim Christiani licite utuntur
lege Dei & lege naturæ, quemadmodū Pau-
lus inquit, Lex est bona legitime utentibus, ita &
Philosophia uti cōcessum est, cū Philosophia uerissi-
me sit pars legis diuinæ, & explicatio legis naturæ.
Et lex naturæ cū sit scripta in mētibus, nō est abro-
gata, quod attinet ad disciplinā. Imo lumē est diuini-
tus insitum mentibus, quod Euangelio nō aboletur.
Sicut Euāgelium non abolet Arithmeticam, aut elo-
quentiā. Et quidē notitias illas de moribus Spiritus
Sāctus reddit excitiores, atq; illustriores in pijs.
Est autem usus legis diuinæ, seu legis
naturæ, seu, ut docendi causa sic nuncupē, decalogi:
Primū ad disciplinā, sicut Paulus inquit. Lex est pe-
dagogus, & quidē addit, in Christum. Sunt enim co-
hercendæ cupiditates & propter communem tran-
quillitatem, & ut assueſciant rudes ad audiendū &
discendum Euāgelium. Nec enim est efficax Deus
in his qui indulgent uiciosis cupiditatibus. Ideo Pau-
lus legem honorifico encomio ornat, quod sit peda-
gogia, hoc est institutio & assuefactio, & quidē in
Christum

Christum, uidelicet ut Christū agnoscamus, & quia Deus non est efficax in illis qui laxant frenum cupiditatibus, nec agunt poenitentia. Ita & Paulus legē naturæ uocat *Δικαιοσύνη θεῶν*, ius Dei, Ro. 1. & testatur peccare eos qui uiolant legē naturæ. Hinc utilis regula & uetus accepta est, peccata contra legem naturæ, esse peccata mortalia. Deinde in pijs honestæ actiones ciuilibus uitæ, sunt opera Deo placētia, sicut obedientia, quā legibus magistratū præstamus. Ac non modo noticiæ illæ legis de moribus sunt opera à Deo condita, uidelicet lumē quoddam impressum mentibus. Sed præter has sunt etiam in hominibus, *σοφῶν προικαί*: quæ sunt boni quidam affectus: qui sunt initia uirtutū multarum. Hæ *σοφῶν* sunt opera Dei & excellentia dona, quæ cū accedit ratio & quædam cōformatio, fiunt *ἡδονή*, hoc est, placidi & suaues animorū motus. Ad hæc punit Deus uiolationē disciplinæ, & præsentibus & æternis pœnis. Ac rursus proponit premia obedientiæ, sicut decalogus testatur: Honora patrē & matrē, ut sis longæuus super terrā. Ex his satis planū fit, Christianis cōcessum esse usum Philosophiæ moralis, quia est legis pars utilis ad disciplinā & in pijs hæ actiones externæ fiunt bona opera, et cultus Dei, cū accedunt timor Dei, & fides, ac agnitio Christi. Præterea noticiæ ipsæ legum &

s'og'at' quæ sunt inchoatio virtutū. Sunt uere op'ra
 ra Dei, & eximia ornamenta homini diuinitus in
 sita, quare non solum licet eis uti, sed Deus requirit
 ut eis obtemperemus. Postremo hæc philosophia est
 fons legum, quas magistratus de ciuilibus officijs fe
 runt. Euangelium autem clare testatur concessum
 esse usum legum, quas ferunt magistratus, modo ut
 sint consentanea rationi. Approbat igitur & fon
 tes harū legū. Extra enim apud Aristotelem dictum
 Alcidasantis: Τῆν φιλοσοφίαν εἶναι ἐπιτί
 χιδίον τῶν νόμων. Et quomodo cum uita spiritali
 & fide hæc ciuilis uita cōiungenda sit, sæpe alibi
 dictū est. Euangelium enim non abolet politicam &
 oeconomica uita, sed multo magis approbat, &
 in his qui habent timorē Dei, & fidem seu agnitio
 nem Christi, docet opera politica & oeconomica
 uita, esse exercitia dilectionis, quæ Deus requirit.
 Hæ sunt uere & magnæ laudes Philosophiæ mora
 lis, quas intelligere Christianos magnopere cōducit.

AD QUID PRODEST.

Primum cū necesse sit legem Dei, item magi
 stratum leges nosse, ut disciplinam teneamus
 ad coerendas cupiditates, facile intelligi potest,
 hanc Philosophiam etiam prodesse, quæ est quedam
 domestica disciplina, quæ cū demonstrat fontes &
 causas

eas uirtutum, accendit animos ad earum amo-
 rem, abeunt enim studia in mores, atq; hoc magis in-
 uitantur animi, quia quo propius aspiciunt res bo-
 nas, eo magis ipsas & admirantur & amant. Hic
 autē perfecta notitia uirtutis queritur. Neq; uero
 dubium est quin ut Plato ait, Sapientia, si quod eius
 simulachrū manifestum in oculos incurreret, acer-
 rimos amores excitaret. Nulla autē fingi effigies
 potest, quæ propius exprimat uirtutem & clarius
 ob oculos ponat spectantibus, quam hæc doctrina.
 Quare eius tractatio magnam nim habet ad exci-
 tandos animos, ad amorem rerū honestarum, præ-
 sertim in bonis ac mediocribus ingenijs.

Ad hæc, quia hæc cognitio maxime secundum na-
 turam est, mirificam oblectationem animis adfert.
 Hac suauitate cum demulcetur animi, uelut Musica
 quadam, fiunt mitiores ac moderatiores. Itaq; hæc
 doctrina, traducit homines à Barbarie ac feritate,
 ad mitiorem et humaniorē uitam. Eamq; ob causam
 uocatur *ἡθικὴ*, quia in affectibus moderationē quā-
 dam ac suauitatē efficit. Significant enim *ἡθικὴ* mo-
 res leniores ac suauiores. Estq; uerissimū quod ait
 Aristoteles in. 10. Aethicorum: Generosas naturas
 hac doctrina commoueri, ut quasi quodam diuino
 afflatu ad uirtutem rapiantur. Si quis autē hæc ni-
 hil existimat moribus conducere, præsertim prudē

ter & apte tradita, hic neq; intelligit naturam hominis, neq; uidet quem ad usum disciplina in omnibus ciuitabus bene moratis instituta sit.

Secundo, est & perliberalis ipsa cognitio, & digna homine. Nam si inuat naturam alicuius gemam cognoscere, quanto magis expetenda est cognitio nostrorum animorum, & earum rerum, quae sunt in uniuersa natura praestantissima ac pulcherrima, uidelicet, quomodo natura ipsa nos uocet ad uirtutem, quomodo mentibus nostris diuinitus impressa sint uirtutum causae, & noticiae: quae pepererunt omnes leges rerum publicarum, & omnia honesta officia gubernant. Nihil autem habet uniuersa natura melius istis noticijs. Sunt enim uestigia quaedam et imago diuinitatis in homine, etsi non nihil obscuratae sint naturae morbo. Quare Plato in Alcibiade cum ad hanc Philosophiam nos hortatur, huc accommodat oraculum. Nosce te ipsum, quod haec doctrina praecipua hominis partem, et praecipua bona ostendat.

Tertio adeo prodest haec Philosophia Theologus ac Iureconsultis, ut sine ea tueri suum munus non satis possint. Plurima enim hinc sumunt iureconsulti cum legum causas & rationes inquirunt.

Deinde etiamsi Euangelium habet suos quosdam ac proprios locos, tamen cum de moribus ciuilibus loquetur Theologus, multa ei hinc petenda erunt.

Quare

Quare utriq; uberiores, erunt qui hanc doctrinam perceperint. Præterea plurimū refert eos in his disputationibus ad Methodum assuefactos esse. Hic enim aptiss. Methodus de uirtutibus proponitur: quam si ad suas artes attulerint, multo dexterius pleraq; explicare poterunt. Sed illud uidebit Theologus ne inepte commisceat spirituales doctrinam, seu eam partem quæ est Euangelij propria, cum his ciuilibus disputationibus. Sed discrimen utriusq; generis & teneat & conseruet, quod ipsum facilius poterit facere, si utrunq; genus recte cognouerit.

QVID INTEREST INTER LEGES Magistratuum, et Philosophiam Moralem, seu *ἠθικῶν* libellos.

Leges magistratuum & Pænetici libelli continēt nuda præcepta sine causis & rationibus. At Philosophia quærit necessarias rationes præceptorum in ipsa natura positas. Vt autem in alijs artibus primum oportet *ᾧ ὅτι* cognoscere, postea cause quærentur. Ita primū prodest pæneticos libellos, quales sunt Hesiodi, aut Isocratis scriptum, & præcipue Decalogus, postea facilius intelliguntur demonstrationes. Sed ut *ᾧ ὅτι* teneantur, non solū præcepta cognoscenda sunt, sed etiam accedere debet quedam liberalis educatio. Quæ quia præ

cepta ad usum, & ex scola ad uitam transfert, lumen affert præceptis, & iudicium format. Quare dicit Plato statim à teneris recte consuesceri oportere.

QVIS EST FINIS HOMINIS.

Cum res ita demum perspiciantur cum deprehensa sunt causæ, necesse est in qualibet re eam de fine querere. Itaque prudenter docti homines querendum putauerunt de fine hominis. Nam ceteræ partes Philosophiæ de alijs causis hominis loquuntur. Philosophia moralis tota uersatur in inquisitione finis. Est igitur & ob hanc causam liberalis cognitio, quia turpe est homini nescire finem, hoc est, usum naturæ humanæ. Maximam enim uim habet finis cognitio in qualibet re, quia usum rei monstrat.

Supra autem dictum est, Philosophiam partem esse legis diuinæ. Quare sicut legis diuinæ iudicio, finis est hominis obedire Deo, & eius gloriam illustrare. Sunt enim conditi homines ut per eos patefikat Deus. Ita & recta ratio ac Philosophia, statuere debet finem esse hominis, obedire Deo.

Quoniam enim obscura est noticia de Dei uoluntate in hominis natura, tamē hoc intelligit ratio, Deum esse conditorē, iustum, Deoq; parendum esse. Intelligit item homines propter Deum conditos esse, sicut sanctus, dixerunt Stoici, omnia condita esse ho-

minura

minum causa, homines uero deorum causa. Sed quia obscura est noticia de Deo, ideo Philosophia constituit hunc finem obedire rationi, id est enim quod uocat Aristoteles, actionem uirtutis. Is finis ex priore oritur. Significat enim hominem regi debere ea parte, quia natura cōditor hanc uelut gubernatricē ceteris præfecerit. Sit igitur finis hominis iuxta Philosophiā, obedire rationi, hoc est actio uirtutis, sed magis Philosophicum est constituere eundem finem quem lex Dei constituit, scilicet obedire Deo. At secundum Euangelium, finis est hominis agnoscere et accipere misericordiā oblatam propter Christum, & uicissim pro illo beneficio gratum esse, Deo obedire, & Dei gloriam illustrare.

Hactenus de principali sine diximus, sed committantur hunc fines alij exteriores. Deus pollicetur præmia legi, qui fecerit ea, uiuet in eis. Item, Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram. Cum autem Philosophia pars sit legis diuinæ pertinent hæc præmia etiam ad has uirtutes, quæ in Philosophia tradūtur. Proinde diligenter meminimus Deū reddere præmia his ciuilibus uirtutibus, et punire flagitia, sicut ipsæ gentium historie & sapientū sententiæ testantur, quales sunt, ἐχθ θεός ἐκδικῶν ὀμματα, Habet Deus uindicæ oculū. Et Sophocles, ἐν τῷ Δικαίῳ ἐλπιδὲς σοτηρίας. Proba

Proba finem hominis esse uirtutis actionem.
 Propria actio cuiusq; natura est finis eius,
 Actio uirtutis est maxime propria hominis.
 Ergo est finis hominis.

Hæc demonstratio ducitur ex principijs natura no-
 tis. Estq; iucundissimū uidere quomodo uiri sapien-
 tes eruerint, atq; protulerint præcepta in natura ab-
 strusa. Et tales demonstrationes uere existimari de-
 bent leges naturæ. Cum enim deprehendantur in na-
 tura, & ita certæ sint, ut mutari nō possint, necesse
 est eas diuinitus naturæ impressas esse, ac uere diui-
 nas quasdam ordinationes esse, non secus ac lumen
 oculis inditum, diuinum quoddam opus est. Adde et
 alteram confirmationem, quæ etiam est demonstra-
 tio nata in ipsa ratione hominis, modo ut naturam
 uere aspiciamus. Deo obediendum est etiam si nulla
 sequeretur utilitas uel uoluptas. At ratio iudicat
 Deū præcipere ut recte faciamus. Igitur recte faci-
 endū est etiā si uoluptas aut utilitas nō sequeretur.

QVIS EST HVIVS PRÆ-
 cepti de fine usus

Apte queritur in Methodo de qualibet re atq;
 arte, quis sit finis: hoc est ad quæ usum deest
 nata res sit uel ars. Ideo & in Philosophia morali
 queritur de fine hominis, seu de fine totius uitæ. Sed
 non

non satis est præcepta nosse, uerum ad usum etiam transferenda sunt. Est igitur hic usus huius præcepti. Omnia consilia, omnia uitæ negotia gubernare debet hæc regula, ne utilitas aut uoluptas abducat nos à uirtute. Nam principalis finis semper maxime spectandus & expetendus est, & præferri cæteris omnibus rebus debet. Recte igitur & secundum naturam fecit Regulus, quod maluit ad supplicium & horribiles cruciatus redire, quàm fidem datam fallere. Non recte Perseus qui fratrem interficere maluit, quàm uenire in discrimen, ne quando regnum ad ipsum propter eius uirtutem deferretur. Non recte Cyrillus, qui seruitutem quanquam utilem cum turpitudine coniunctam, prætulit honestæ ac necessariæ dimicationi. Contra naturam faciunt, qui priuatæ utilitatis causa, fœdera cū Turcis illicita, & patriæ, & uniuerso nomini Christiano perniciosæ, faciunt. Contra naturam faciunt, qui literas & recta studia oderunt, aut prægrauant ut estimationem suam tueantur. Cum ad hunc modum præcepta accommodantur ad exempla, & communia uitæ negotia, & dicendo illustrantur atq; amplificantur, sunt clariora, atq; illustriora. Nā breuitas illa & exilitas qua traduntur à philosophis, efficit quominus conspici magnitudo & uis eorum possit.

Quid

QVID SENTIENDVM EST DE
Epicuri opinione, qui defendit uoluptatem
esse finem bonorum

ET si quidā delectantur absurdis opinionibus, et in his acumen ingeniorū ostentāt, tamē meo iudicio multo est uilius rudes & imbecilles animos asuescere ad rectas & ueras opiniones. Planeq; significatio quaedam monstrōsa naturae mihi uidetur amare huiusmodi Paradoxa, quae abhorrent à communibus iuditijs bonorū & prudentiū, et nocet moribus illa tū iudicij peruerstas, tū petulantia. Quare Valla merito uituperatur à prudentibus, quod cū satis contumeliosus fuerit in ceteros Philosophos omnes, uni assurgit Epicuro. Cum autē Epicuri sententia & falsa sit & indigna bonis uiris, ac praecipue Christianis, prorsus eam repudiandā & expellendam è scholis esse censeo. Diluamus igitur praecipuas rationes Epicureorum.

Illi actio est finis hominis ad quam natura ultro fertur, & non coacta. Ad uoluptatem ultro rapiuntur homines maximo impetu. Ad uirtutē uero uix cogi possunt.

Ergo uoluptas est finis hominis, non uirtus. Hoc argumentum non facile dilui potest à Philosophis. Quia philosophia nō cernit unde sit hoc ingenium

disti
nis.
disti
rup
spon
ut ni
tionu
tia &
quod
Atq;
mus.
dā in
stros
Chri
ipsi
spon
natu
brut
super
non
pre
quit

A L

Nat
Vol

disidium rationis & appetitionum in natura homi-
 nis. Sed Christiana doctrina monstrat causas huius
 disidij, & docet naturā hominis uitiosam & cor-
 ruptā esse. Quare iuxta sacras literas facilis est re-
 sponso ad minorē. Quod uidelicet per accidens fiat
 ut nūc natura in hac corruptione non obtēperet ra-
 tioni. Nam si esset integra natura, perfecta obedi-
 entia & cōcordia omnium uirū existeret, & perpetuo
 quodā impetu tota natura incitata esset ad uirtutē.
 Atq; hic utrūq; genus doctrinæ magis amare debe-
 mus. Philosophia agnoscit & fatetur mirificā quan-
 dā in natura hominis imbecillitatē esse, ac pene mon-
 strosū disidium, etsi causas nō uidet. At doctrina
 Christiana cū monstrat causam, lumen affert etiā
 ipsi Philosophiæ. Sed Philosophi ad Minorē sic re-
 spondere possunt: Minor neganda est, quia nō tota
 natura fertur ad uoluptatem, sed pars inferior &
 bruta. Ratio uero seu iudiciū mentis, quæ est pars
 superior, reclamatur & improbat appetitiones quæ
 non obtemperant, & statuit uirtutem quidam
 præstantius esse, & expetendam etiam cum non se-
 quitur uoluptas.

ALTERVM ARGVMENTVM

Natura maxime appetit conseruationem sui
 Voluptas est cōseruatio nature, uirtus destructio.
 sicut

sicut Socrates & similes magni uiri mortem oppetere coguntur propter uirtutem, Ergo uoluptas est finis hominis.

Aptissima responsio est ad minorem. Verum est uoluptatem esse conseruationem naturæ per accidens. Nam uirtus per sese maxime est conseruatrice naturæ, neminem enim lædit, & quantum potest alios tuetur. Voluptas uero sepe lædit alios, dum aliorum coniuges aut opes appetit. Quod autem uirtus non est conseruatio naturæ, fit per accidens in hac malitia hominũ. Item uirtus est conseruatio speciei in hoc quàmlibet erumnoſo statu naturæ humanæ. Voluptas uero dissipat uniuersam speciem, dum sibi priuatim consulit.

ALIUD ARGUMENTVM

Finis debet esse ultimum, in quo natura acquiescit, nec aliud requirit præterea.

Natura adeptæ uirtutem recto & legitimo appetitu, tamen adhuc appetit uoluptatem, hoc est incolumitatem & conseruationem.

Ergo uirtus non est ultimum bonorum.

Respondeo. Minor neganda est, Etsi enim natura adhuc appetit conseruationem, tamen non appetit eam ratio tanquam summum & præcipuum bonum, sed sicut fructum quem intelligit ratio non esse præstanti-

præstantiorem uirtute, & uirtutem non abiicienda
 esse, etiamsi fructus non respondeat. Quamuis
 is iustissime debetur uirtuti, ut Themistocli, Scipio
 ni, & similibus optime meritis de rebus pub. certe
 debentur amplissima præmia. Tamē illi ipsi summi
 uiri iudicant recte faciendum esse, etiamsi hæc præ
 mia non consequantur. Nam quod Valla multa colli
 git, omnes homines utilitate & gloriæ cupiditate
 moueri, & uirtus ipsa apud Xenophontē dicit, dul
 cissimum carmen esse: Suam cuiq; laudē. Hæc non
 pugnat cum recta sententia. Fateor expetendā esse
 gloriam, expetendā esse uitæ cōmoda, sed nō princi
 paliter. Natura recto appetitu hæc quoq; appetit,
 sed gubernet hanc appetitionem uirtus tanquam su
 perior finis, hoc est, non antefratur uirtuti. Reti
 neatur uirtus etiam cū hæc non contingunt, aut etiā
 si aduersa perpetiēda sint, sicut & sacræ literæ pro
 ponunt nobis præmia & pœnas, & tamen Deo præ
 rendum est principaliter, propter ipsum, quod cum
 faciunt pij, licet eis etiam expetere defensionē, uitæ
 cōmoda & cætera præmia. Nam hæc sacræ literæ
 duplici de causa proponunt. Prior est, ut discamus
 hæc dona diuinitus donari, & Dei bonitatē magis
 intelligamus, & amemus, ut pij ea ab autore Deo
 petant & expectent, & in his petendis fidem exer
 ceant. Altera est, ut hac pædagogia ad obedientiam
 B affuesca

assuescamus, & formidine poenarum coerceamur
 Iacob inquit, Colam dominū si mihi dederit panem
 & aquam. Vtile exemplum est quod monet & pe-
 tenda & expectanda esse à Deo uitæ comoda, sed
 tamen idem, si non contingat in asperis & aduersis
 rebus scit se non debere à Deo deficere. Tenendum
 est, igitur discrimen, Dei uoluntas principalis finis
 est beneficia minus principalis finis, & hi coniungi
 possunt, modo ne principalis finis deseratur. Sic na-
 tura recte appetit uitæ comoda. Sed is est minus
 principalis finis. At facile potest inuersione argu-
 mentum confutari.

Natura potita uoluptate, si desit uirtus, nequa
 quam acquiescit, sed iudicat sibi multo maius bo-
 num, scilicet uirtutem, deesse. Et ex his facile dilui
 potest si quid obijciatur ad defendendam Epicuri
 sententiam. Interim uero & in conspectu esse debet
 aliqua firma ratio, quæ contra Epicuri senten-
 tiã faciūt. Ac supra recensui duas, quarū prima est.

Propria actio cuiusq; nature, sit eius finis.

Porro actio uirtutis est propria actio hominis.
 Igitur uirtus est finis hominis.

Secunda ratio illustrior est.

Mens humana naturaliter intelligit Deo debita
 ri obedientiam etiamsi desint præmia.

Ergo uoluptas non est principalis finis.

Ac Epicu

Ac Epicurus quidem suauiter deriserit hoc argu-
mentū, quia negat Deo curæ esse res humanas. Sed
nos quid recta ratio probet querimus, non quid de-
liret Epicurus. Nam recta ratio in omnium sano-
rum mentibus, statuit Deo deberi obedientiā, etiam
si præmia deessent. Ad hæc conscientia iudicat, Deo
recte facta placere, displicere secus facta. Nec uero
potest deleri in animis cōscientia, & manet hæc sen-
tentia tantisper, dū sani sumus: At sperate deos me-
mores sandi atq; nefandi, hoc est, conscientia uel ac-
quiescit uel cruciatur, quia iudicat Deū testem esse
factorum. Quare cum Epicurus naturæ iudicium
immutabile, & conscientiam ex natura hominis tol-
lit, maxime pugnat cum natura. Id uero indignissi-
mum est homine Philosopho.

Finis, præcipue mouet agentem.

In Heroicis naturis incitantur animi principali-
ter nō à uoluptate aut cōmodis, sed ipso naturæ
impetu. Ergo uoluptas non est finis.

Minorem confirmo. Nam Heroicæ naturæ incitan-
tur principaliter & immediate ab ipso naturæ im-
petu, Alexander, Scipio, Cæsar ad fortitudinem ac-
cenduntur, non populari laude aut cōmodis, sed du-
ce natura. Sicut Ouidius ad Poemam impetu ingenij
magis quàm præmijs mouetur. Ergo uirtus appeti-
tur duce natura, non tantum propter uoluptatem

Finis præcipue mouet agentem.

σὸς γὰρ φύσις καὶ mouēt animos duce natura sine respectu nostræ utilitatis, ut pater amat liberos duce natura sine respectu utilitatis aut uoluptatis suæ, ut suauissime dixit Virgil. Tuâq; exoptata parentis, (Vicit iter durum pietas) datur oratu ueri.

Ergo ipse σὸς γὰρ φύσις καὶ fines sunt, & non uoluptas.

Ac plane tollunt Epicurei σὸς γὰρ φύσις καὶ, cum referunt omnia ad suam utilitatem, ac negant natura hominem alteri gratis bene uelle aut bene facere. Est autem id quoq; belligerarium natura, tollere σὸς γὰρ φύσις καὶ.

Illud non est præcipuus finis quod pulcherrimarum uirtutum naturæ repugnat. Nostram utilitatem præcipue sequi, repugnat multis præclaris uirtutibus. Igitur nostra utilitas non debet esse præcipuus finis.

Minorem confirmo de beneficentia & amicitia, utraq; enim gratis coli debet. Clara est memoria Pythagoreorum Damonis & Pythiæ. quorum alter pro altero spondit se pro eo oppetiturum esse mortem, si is non reuertisset ad dictum diem. Laudatur in scena certamen Pyladæ & Orestis, quorum uterq; se ipsum interfici uult ut alter seruetur. Similis fuit Ionathæ & Dauidis amicitia, in quibus Ionathæ

cum uitæ periculo amicū afflictissime defendit. Hæc non recte laudaretur, si amicitia colenda essent non humanitatis sed utilitatis causa. Quod autem & beneficentia & amicitia gratis coli debeant, primū ipsa ratio docet, quæ iudicat eas expetendas esse etiā cū nulla sequitur utilitas. Nam homines natura ad societatem conditi sunt.

Deinde ratio hoc quoque statuit, Deo parendum esse, qui nos iubet benefacere & cōplecti alios. Iam Deo parēdum est, etiam si nulla sequeretur utilitas. Item amicitia obiectum proprium esse debet homo ipse, non utilitates quas ex eo capimus. Humanitate igitur ad amicitiam non utilitate principaliter duci debemus. Hinc illæ preclaræ uoces sunt. Beneficia danda esse non sceneranda. Et illud sordidum uituperatur. Imitantur hamos murera. Item in amicitia est efficienda æqualitas, ita ut sit amicus tanquam alter ego. Est igitur gratis amandus sicut nos ipsos amamus. Omitto alia multa de fortitudine, patiētia, continentia, cum quibus etiam ex diametro sepe uoluptas pugnat. Sed obijciat aliquis: At magnam uoluptatem parit gloria. Hoc uero contra Epicurum ualde facit. Si enim gloria uitæ anteferēda est, si parit ingentes uoluptates, necesse est & uirtutē anteferendam esse uitæ, & non minus bonam esse quàm gloriam. Nam gloria re ipsa non iudicatur esse bo-

nū nisi propter uirtutem. At illa præstantiora sunt propter quæ alia sunt in præcio. Nō igitur afferret gloria tantam uoluptatem, non esset magis expetenda quàm uita, nisi tanta uis uirtutis esset, ut natura iudicaremus, uirtutem esse quiddam præstantius uitæ & omnibus uitæ commodis. Exploreda igitur est scholis Epicuri opinio, præsertim à Christianis, qui bus Christus tam multa de cruce cōcionatur, qui sci mus oportere nos in hac uitæ exerceri horribilibus ærumnis, oportere nos uictimas fieri, & hunc cultum Deo gratissimum esse. Scimus item Deo obtinendum esse, præcipue propter ipsius uoluntatem. Nec uero prohibet aut Euangeliū aut Philosophia expeti præmia, & uitæ commoda, sed discrimina & gradus seruandi sunt, ita ut præcipuus finis teneatur etiam tunc cum reliqua cōmoda non accedunt, ut Deo obtinendum est, retinenda est uirtus, etiā cū faciēda est iactura fortunarū aut uitæ. Rectū est igitur expetere uitæ cōmoda, sed suo loco, scilicet ita ut præferantur Dei uolūtas & uirtus. Licet uti præmijs & cōmoda uitæ expetere, si simul præcipui illi fines teneri possunt, scilicet Dei uolūtas & uirtus.

EST NĒ PROBANDA STOICO

rū sententia, qui contendūt nihil esse bonum nisi uirtutem?

Tantum una est quædam uera Philosophia sicut in qualibet

quolibet re unum quiddā est uerum. Quod cum non est deprehensum, aliena à re & falsa dicitur. Sed eadem Philosophia uera est, quæ non dissentit à cōmuni sensu, seu naturali iudicio rationis, ac præcipue illa pars quæ demonstrationes habet. Porro naturalis ratio docet bonū esse quod naturæ conuenit. Deinde primum partimur bona, in bonum naturæ, & bonum morale. Natura bonum est, quod natura genuit ad usum aliquem, & ut de hominibus dicamus quod ad usum, aut functiones, aut cōseruationē hominum cōducit, ut uita, uires corporis, cibus, potus, imperia etc. Ad hoc caput pertinet bonū utile, quod uidelicet expetitur usus & cōseruandæ naturæ causa. Sed bonū morale dicitur bonū humanarū actionū, id uocatur honestū, quod scilicet expetitur nō propter aliud, sed quia ratio sic præcipit, & docet id esse rectū. Ex hac partitione igitur oritur altera.

Bonorū tria sunt genera, honestum, utile, suauē. Honestū est bonū humanarū actionū, & significat actiones cōsentientes iudicio rationis. Malū morale, significat actiones quæ dissentiūt à iudicio rationis. Utile, significat res quæ expetuntur nō propter sese, sed quia naturæ cōueniūt ad eam cōseruandā. Suauē cognatū est utili. Significat enim id quod ideo expetitur, quia animo aut sensui, motus iucundos adfert.

Cū igitur ratio naturaliter iudicet utilia esse bona,

id est naturæ conuenientia, repudianda est Stoico-
rum sententia, qui utilibus rebus, id est naturalibus,
adfunctionem & conseruationem hominum natis,
detrahunt boni appellationem. Rectius Aristoteles
qui utilia pronunciat esse bona, & tamen gradus
bonorum discernit. Nam qui negant utilia esse bo-
na, tollunt rerum delectum. Si uita non est bonum,
mors malum, nihil interest utrum expetatur,

Hoc quid aliud est quam tollere multarum uirtu-
tum actiones. Nam uirtutes uersantur circa has res,
aut expetendas, aut fugiendas.

Atq; hæc ratio coegit Stoicos suo paradoxo cor-
rectionem addere. Cum enim primum dixissent so-
lam uirtutem bonam esse, ne postea nullus esset res-
rui delectus, necesse fuit eis nouas appellationes ex-
cogitare, ut rerum discrimina constitueret. Res ex-
petendas uocarunt προσημολία, id est, prelatæ.
Res fugiendas uocarunt ἀποσημολία, id est,
postposita. Ita cum re ipsa idem sentiret quod Ari-
stoteles, uerbis tamen in speciem dissidet. Estq; Phi-
losophia à ueteribus simpliciter tradita, postea am-
bitioe mutata à posterioribus, immò corrupta admi-
xtis ineptis hyperbolis et multiplici Sophistica, pla-
neq; degenerarunt Philosophi, perinde ut Home-
rus inquit, homines degenerare. ὡς ἄρα οἱ
Ἰωταὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις παρὶ τῶν ἄλλων.

QVID

QVID EST VIRTUS.

SI quis uolet exactissime & planissime definire dicat uirtutem esse habitum, qui inclinat uoluntatem ad obediendum recte rationi. Nam cum uirtutum due cause sint, noticia gubernatrix, & uoluntas obtemperans, ut uenustiss. dixit Aristoteles:

Δε τὰ αὐτὰ τοῦ λόγου φᾶναι, καὶ τὴν ὁρεξίν διώκει. Ideo & in uirtutum speciebus numerandis quærendū erit, quibus notitijs singulæ regatur, & necesse est aliquam generalem noticiam esse quæ caput est cæterarum uirtutum. Prima est de fine, quod homo conditus sit, ut Deo obtēperet, seu ut obtemperet recte rationi, ex hac sequitur proxima. Præstantissima actio est actio uirtutis, hoc est obtemperare rationi. Nā præstantissimæ parti nature, scilicet intelligēti ac iudicāti, cæteræ uires obedire debent, sicut alloqui inbecilliora regi debent à præstantioribus. Et incerti motus aliqua certa lege gubernari debent. Atq; hæc summa notitia parit definitionem uirtutis in genere. Si homo debet obtemperare rationi, Ergo præstantissima actio est obedire recte rationi. Illa uero uocatur uirtutis actio.

In hanc sententiam Plato suauiss. disputat, uirtutem esse iustitiam quandam, quia sit concordia uirū hominis inter sese, hoc est, obedientia appetitionū

*oportet idem
momentum
monstrare &
uoluntatem
sequi*

ad rationem. Sicut Harmonia concinna est quando uoces recte cōsentiunt, sed ad Hypaten, hoc est grauiissimā Metē & Nete, hoc est octaua & δισδύα πρὸς ὄψ. Vt enim grauiissima uox regit ceteras, sic mens gubernat reliquas uires. Itaq; ut uirtutem Aristoteles, ita Plato Iustitiam, quam uidelicet inteligit uirtutem in genere, definit esse Harmoniam, hoc est obedientiam uirium hominis ad mentem. Et econtra uitium seu iniustitiam, definit esse harum uirium discordiam ac seditionem. Ac profecto eruditissime & aptissime in ipsa natura hominis fontem uirtutis hoc modo monstrauit Plato. Quia cause sumendæ sunt ex collatione uirium hominis. Quo modo autem ad Aristotelicam definitionem hæc nota conueniat, paulo post dicam.

QVAE SVNT CAUSAE
uirtutis?

HAbitus sūt ex crebris actionibus, sed efficientes cause actionū honestarum sunt, rectū iudiciū mentis, & uolūtas obtemperās iudicio. Voco autem rectum iudiciū & naturales notitias, & legem diuinam & alias leges honestas. Ac præcipue ueram & copiosam doctrinam, quæ illas naturales notitias illustrat & arte explicat, ut uim & decus uirtutis clarius aspicerē mens possit, & uidere quo nos uocet

uocet natura, & ad amorē uirtutis incitetur. Nam
 etsi magna uis est naturæ in bonis ingenijs, tamen si
 ne doctrina nunquā perfecta uirtus existere potest.
 Quia ineruditi multas habent falsas & ineptas per
 suasiones, & facilius deerrant in iudicando. Præte
 rea ad causas efficientes pertinent & naturales im
 petus. Ut enim non fiunt præstantes artifices nisi pe
 culiari naturæ impetu adiuuentur, iuxta illud:

Tu nihil inuita dices faciesq; Minerua.

Ita non fit eximia uirtus, nisi peculiari impetu natu
 ra adiuuetur. Neq; enim Homeri aut Ouidij scelici
 tas in condendo carmine, aut Iosquini suauitas in
 Musica arte ac studio, tantum accersita fuit, sed du
 cebat eos natura singulari inclinatione ad harum ar
 tium exercitium. Ita Alexandrum, Scipionē, C. Cæ
 sare, insignes quidam motus incitarunt ad forti
 tudinem & cæteras uirtutes. Hi naturales impe
 tus recte uocantur, & sunt Dei dona, Ideoq; Heroi
 cā uirtutem dixerunt, qualis illa fuit Alexandri uel
 C. Cæsaris magnitudo animi, uel ut exēpli causa di
 cam, Homeri Poetica, aut Ciceronis eloquētia. Et Ci
 cero inquit, nullū magnū uirū sine aliquo diuino af
 flatu fuisse. Physici harū inclinationū aliquā causam
 in tēperamento constituūt, quod ex aliqua parte stel
 le efficiat, & Arist. appellat has inclinationēs φύσι
 κας ἀγέτας. Sicut autē alij qui nō habēt insignes
 impetus

impetus tamen utrunq; assuesieri possunt, ut aliquo
 modo queant canere, aut uersus faciant qualibet tar
 dos & duros, ita iudicandum est & de uirtutibus.
 Maxima pars hominum etiam si non habet insignes
 impetus ad uirtutē, tamen actiones uirtutum aliquo
 modo efficere potest. Ideoq; legibus regendi & co
 ercendi sunt omnes homines. Et uix ulli tā monstro
 si sunt, in quibus non sint aliqua s'ogyai, quæ, cum
 accedit cōformatio, hoc est doctrina & cōsuefactio,
 certē sunt initia et adminicula uirtutū. Et huiusmo
 di uulgares uirtutes Cicero uocat Simulachra uir
 tutum. Sunt igitur præcipue cause Mens & Vo
 lūtas. Sed ad has accedere debent tres alie, impetus
 aliqui naturales, doctrina, & consuefactio seu disci
 plina. Cuius magnam uim esse testantur artes. Ne
 mo enim quantumlibet ingeniosus, euasit pictor aut
 poeta, sine exercitatione. Quare & Deus de disci
 plina seueris. præcepit, et legem uocat pedagogū,
 quod assiduis & uarijs exercitijs, continendi, admo
 nendi et assuesfaciendi sint homines, & flectendi ad
 uirtutem. Fiunt enim animi ut cæra tractatione (ut
 ita dicam) molliores, & quanquam in Philosophia
 propriè de ciuilibus uirtutibus loquimur, quæ pos
 sunt etiam in impijs existere, tamen & ad uirtutes
 de quibus concionatur Euangelium, cōferri debent
 cause quas diximus, hoc est, doctrina, uoluntas no
 stra, &

stra & disciplina. Sed ad res accedit motus spiritus sancti, qui quidem est efficax per uerbum Dei, quod ut audiant & meditetur homines, disciplina & assuefactione opus est. Cum enim inquit Christus patrem daturum esse spiritum sanctum petentibus, satis monet non donari eum aspernantibus & contumacibus, sed his qui uerbum Dei audiunt, & conantur obedire. Voco autem uirtutes Euangelij proprias, timorem Dei, fiduciam & similes.

Materia in qua est uoluntas hominis circa quã sunt obiecta uirtutum, discrimina personarum, contractus, affectus, nam circa hæc uersantur omnes uirtutes, ut Deo, magistratibus debetur obedientia. Fortitudo moderatur timores, Continetia libidines, Iustitia regit contractus. Causa formalis actionis uirtutis est illa ipsa actio seu motus quo uoluntas obtemperat recto iudicio. Et quemadmodum ex formalibus causis sumuntur propriis definitiones, ita uirtus recte definitur, cum dicitur esse obedientia uoluntatis erga rectam rationem. Quare Plato uenuste dixit, primam uirtutem Iusticiam esse, quæ uidelicet est obedientia inferiorum uirium erga rationem.

Causa finalis, quemadmodum Philosophi loquuntur: uirtus est ipsa sibi principalis finis, hoc est, natura nihil præstatius iudicat esse uirtute, cuius causa uirtutem expetat. Sed rectus ac Philosophicæ quidē

dem dicitur uirtutum finem esse Deum, seu Dei gloriam. Debent enim referri uirtutes eò ut Deus innotescat & multi inuidentur ad agnitionem Dei, ad parendum Deo, sicut supra dictum est reliqua hominum causa, homines uero, Dei causa esse conditos, hoc est ut per eos innotescat Deus. Ideo & Christus inquit: Luceat lux uestra coram hominibus ut glorificetur pater uester qui in caelis est. Ad hunc tanquam præcipuum finem directa sit mens ac uoluntas. Proinde qui non amplectuntur uirtutem discunt à principali fine, hoc est cum Deo belligerantur. Maxime autem pugnat cum natura sua qui discedit à principali fine. Deinde fines sunt præmia uirtutis, hoc est uitæ commoda diuinitus promissa uirtuti, nam hæc quoque suo loco expetenda sunt.

Quorsum enim attineret ea diuinitus promitti, nisi expetenda essent: Et quidem insignia delicta ciuilia habent poenas in hac uita, ut exitus tyrannorum, homicidarum, & perfidorum testantur.

Itæ plurima recte facta etiã in hac uita habent præmia, ut & bellorum exempla docent & pleræque sententiæ, ut, Honora patrem & matrem, ut sis longæ uisus super terram. Item, Recipiet in hac uita centuplum &c. Exposui ordine causas uirtutis, quas qui diligenter aspexerit non obscure uim & naturam uirtutis uniuersam intelliget.

Recita

RECITA ARISTOTELI-
can definitionem.

Virtus est habitus electiuus q̄ mediocritatem effi-
cit, quam ratio præscribit, sicut sapiens iudicat.

IN hac definitione singularis eruditio & prudens
tia Aristot. conspici potest. Nam re ipsa conuenit
hæc definitio cum superiore. Sed hæc addit effectum
uirtutis, estq; sententia, Virtus est habitus quo uo-
luntas obtemperat rationi, & efficit mediocritatem
in affectibus & actionibus. Est & prudentissime
addita rationis descriptio, ut sapiens iudicat, quasi
diceret: Non debet iudicium ualere imperitorum,
sed periti & artifices iudicare debent. Vt si in Re-
publica, in Religionibus, in Iudicijs deliberetur de-
magnis rebus, non statim lex esse debet, si quid som-
niant homines indocti & imperiti, sed ualere debet
peritorum & sapientum autoritas.

QVID VOCAT HABI-
tum electiuum?

Ἡ προαιρέσις Latine significat idē quod suscipiens
aut agēs aliquid iudicio et cōsulto. Nā προαιρέσις
hæc duo cōplectitur, deliberationem & libertatem
uoluntatis in agente. Et acute inseruit Aristot. hanc
particulā, ut discernat uirtutē à uicinis simulachris
uirtutis

uirtutis. Sunt enim uariae causae actionum foris | simili
lium in speciem, uoluntas alias aliter mouetur.

Aut enim naturali motu sine iudicio, hoc est sine consilio rationis fertur, aut errore ducitur. Variat et fines. Itaque Aristoteles quatuor gradus constituit, quorum tres non continent ueram uirtutem, sed uicina quaedam simulachra uirtutis. Ac magnopere opus est in uita hos gradus intelligere ad discernendos hominum mores, uoluntates et ingenia.

Sunt autem hij gradus, Φύσις, Δόξα, Βούλησις, Προαρεσις, Φύσις significat naturae inclinacionem sine iudicio, ut alij natura uehementes sunt, alij lenti. Cato natura durus ac pertinax erat, eaque constantia non erat uirtus, cum non moderaretur eam ratio, sed erat quidam inconsultus impetus.

Δόξα significat persuasionem, ut cum sine iudicio homines assentiuntur alicui opinioni, aut persuasione mouentur. Ut Brutus erat indutus stoicis opinionibus. Habebat exemplum Catonis, cuius cum uellet esse similis, studebat esse liberior et pertinacior.

Βούλησις significat simulationem, ut Thraso simulat fortitudinem. Tales sunt qui in gratiam potentum simulant se eorum opiniones et consilia probare. Ac facile intelligi potest hos gradus a uirtute discernendos esse. Actiones enim in speciem uirtutis similes sunt, cum tamen propriae et perfectae causa

se uirtus

se uirtutis desint. Deest enim rectum iudicium, uel propter ingenij infirmitatem, uel propter imperitiam, uel quia natura non est perpolitata doctrina.

Est igitur quartus gradus $\omega\gamma\omicron\alpha\iota\epsilon\sigma\iota\varsigma$, quæ significat cōsulto seu iudicio aliquid agere ac sponte. Complectitur enim integras causas uirtutis, scilicet rectum iudicium seu deliberationem & liberum uoluntatis decretum. Ad has causas, ut supra dictum est, debent accedere, idonea natura & recta doctrina. Sic constans fuit Atticus qui iudicio constantiam moderabatur, & utilitati publicæ, in loco cedebat. Hos gradus ualde prodest obseruare, ut consyderentur actionum, uoluntatum, ingeniorum discrimina, quod in uita magnā habet utilitatem. Possunt autem hi gradus in ipsis hominum negotijs facile intelligi, ut $\phi\upsilon\sigma\epsilon\iota$ religiosi sunt, qui quodā naturæ impetu tantum mouentur. $\Delta\epsilon\acute{\xi}\alpha$ religiosi, qui persuasione quadā aut imitatione sine iudicio ducuntur. $\text{Βούλησ}\delta\delta$ qui simulant. $\omega\gamma\omicron\alpha\iota\epsilon\sigma\delta$ qui firmā & uerā rationē sui cōsiliij habent, & causas recte perspicunt.

Ita Aristotelis sententia ciuilitate intelligi debet. cum querit. An uirtus sit natura, opinio, uoluntas aut $\omega\gamma\omicron\alpha\iota\epsilon\sigma\iota\varsigma$.

Querit enim discrimen inter uirtutem & uicinas quasdam actiones. Sed qui hunc locum non ac cōmodant ciuilitate ad discrimina actionum & ingeniorum

niorum in uita, sed otiose querunt uocabulorum
 discrimina, disputant naturam esse substantiam, uirtu-
 tem qualitatem &c. Procul deerrant ab Aristotelis
 sententia. Nam hæc genera ad cōmunem uitam, &
 actiones in specie similes accommodata sunt. Et exem-
 pla monstranda, ut ueram uirtutem intelligere disca-
 mus, & ab umbra uirtutis discernere. Et ex his in-
 telligi potest, quare Aristoteles posuerit in defini-
 one electiuum, nempe ut ueras causas uirtutis com-
 plecteretur, & discerneret eam à simulachris uir-
 tutum

EST NE VOLUNTAS HV-
 mana libera?

Pertinet & hæc questio ad causas uirtutis. Nā
 cum præcipua causa sit uoluntas, necesse est
 querere an sit libera, hoc est an possit obtemperare
 rationi recta monenti. Supra autem aliquoties iam
 dixi, procul fugiendas esse absurdas opiniones, præ-
 fertim si noceant moribus. Quare & in hac questio-
 ne prudentia adhibenda est, ne quas amplectamur
 opiniones immoderatas in utramq; partem, quæ aut
 moribus officiant, aut beneficia Christi obscurent.
 Porro ingenia turbulenta multas hic serunt cō-
 tentiones, quæ ex quibus fontibus orientur, aut quos
 habeant prætextus, paulo post dicemus. Prius enim
 simplicem

simplicem & ueram sententiam proponam.

Sic igitur sentiendū est sine ulla dubitatione, quod humana uolūtas aliquo modo libera sit, hoc est quod possit obtemperare iudicio rationis, expetere aut frugere res oblatas, & imperare inferioribus membris ac uiribus in externis actionibus, ut obsequantur iudicio rationis. Docent enim & sacræ literæ quandā esse humanam seu legis iusticiam, quam homines efficiunt proprijs naturæ uiribus. Necesse est igitur in hominibus delectum quendam & libertatem esse, qua sibi officia legis imperent, cum constet eos alioquin posse contrarias actiones facere.

Altera ratio sumitur ab experientia, quæ in communi uita testatur homines libertatem quandam et delectum habere, ut etiam in artibus apparet, uideamus homines posse applicare animos ad certas artes, & in illis assuescere. Præterea Deus uult legibus & disciplina coerceri homines. Quorsum autem opus esset legibus, si prorsus non posset obsequi uolūtas? Hæ rationes & pleræquæ aliæ sumptæ ex sacræ literis & experientia, non obscure testantur esse aliquam humanæ uoluntatis libertatem.

Sciendū est autē alios bifariā detrudere libertatē hominibus. Quidam omīssa naturæ humanæ consideratione, respiciūt ad diuinā gubernationem et disputant omnia necessario fieri, quia regātur dei cōsilio.

Sed hæc ratio nequaquam tollit libertatem humanæ uoluntatis. Quia Deus gubernat naturas pro ipsarum conditione. Aliter mouet rationales naturas, aliter brutas Nam utraq; condidit, & suum modum agendi addidit utriq;. Quod autem aliqua sit libertas humana uoluntatis, firmissima ratio est, quia Deus non est causa peccati. Ideo seu Stoicas illas defato, seu Valles absurdas imaginationes, quæ propter diuinam gubernationem adimunt libertatem uoluntati, fugiamus.

Altera ratio est tollendæ libertatis, ipsa natura humana imbecillitas. Et si enim sunt in natura hominis aliqui boni affectus, & rationi consentientes, tamen propter uitium originis, accesserunt & alij uitiosi & contrarij affectus, qui rapiunt homines ad turpitudinem. Ac præsertim multi sunt uitiosi affectus erga Deum. Natura hominis uacat metu Dei, fiducia Dei, dilectione Dei. Verum est autem quod hominis natura non potest omnes uitiosos affectus exuere & abicere, sed tamen externas actiones honestas imperare nobis et efficere possumus. Etsi hæc libertas sæpe retardatur, tum imbecillitate nature, tum etiam à diabolo. Plærumq; enim propter imbecillitatē magis obtemperant homines affectibus quàm rectæ rationi, sæpe etiam diabolus impellit homines ad flagitia. Habet enim impios in potestate. Sed hæc
partiales

partiales cause, non penitus tollunt libertatem uoluntatis. Ac de externis actionibus de quibus precipue Philosophia loquitur, non est dubium quin aliqua sit libertas reliqua deligendi honestas actiones externas. Et tamen hic experientia testatur, homines non sine magna difficultate repugnare posse infirmitati naturæ suæ. Hanc in natura hominis discordiam ualde mirati sunt Philosophi, nec causam tantæ infirmitatis ratio perficere potuit. Ceteræ naturæ omnes magno impetu feruntur ad id, ad quod conditæ sunt. Homo cum sit conditus ad agnitionem Dei, & ad uirtutem, tamen ad alias res, uidelicet ad uoluptates, maiore impetu fertur. Sed doctrina Christiana causam & fontes huius mali ostendit, monstrat etiã auxiliũ aduersus hoc malũ. Ideo fateri prudẽtes coguntur hoc loco mancam esse Philosophiam, Ac prodest bonis mentibus hoc loco conferre doctrinã Christianam, & Philosophiam. Non uolo misceri et confundi hæc doctrinæ genera, collatio iuuat bonas mentes. Obseruandum est enim quousq; progredi ratio seu Philosophia possit. Vidẽdũ, quæ beneficia Christus attulerit. Illud etiã grauissimũ est bonis, intelligere quam placeat Deo hæc diligentia in comportendis moribus, de quibus precipiunt Philosophi, & quod hanc diligentiam spiritus sanctus adiuuet. Quam igitur actiones ciuiles aliquo modo sunt in po-

te state nostra, tamen quia sepe uincuntur animi na-
 turali imbecillitate, aut à diabolo impelluntur ad
 aliquod facinus, discamus hic duas esse causas exter-
 narum honestarum actionum in pijs, scilicet dilia-
 gentiam nostram, & auxilium Spiritus Sancti,
 quod petere uero pectore debemus, ut resistere dia-
 bolo, & uincere imbecillitatem nostram possimus.
 Nam in his actionibus externis, certe aliquid dili-
 gentia nostra seu conatus ualeat. Et illa ipsa mode-
 ratio quæ propriæ uocatur ἡθικῆ, & suauitas,
 multo uerius efficitur, cum illa coelesti luce animus
 perfunditur, & fit tranquillior cum Deum agnoscimus,
 & ab eo auxilium petimus, nosq; ei subijci-
 mus, & in ipso acquiescimus. Hæc sententia de libe-
 ro arbitrio, quod ad has actiones attinet, est uera,
 pia, & utilis moribus. Acuit enim curâ, et studium
 bene operandi, et tamen admonet auxilium Dei pe-
 tendum esse. Cæterum de moribus spiritalibus de
 quibus concionatur Euangelium, profecto etiam
 sentiendum est, nos non debere repugnare spiritui
 sancto monenti, aut uerbo Dei, non indulgere im-
 becillitati nostræ. Sed excitare nos uerbo Dei, atq;
 assentiri, quod cum facimus, nosq; uerbo erigimus,
 simul efficax est spiritus sanctus, sicut suauissime in-
 quit Basilius, μάνου θέλησον, ἢ ὁ θεὸς προο-
 ρεῖται. Et prædicatio pœnitentiæ & promissio

Euang.

Euangelij est uniuersalis, itaq; uiderimus ne repugnemus Deo uocanti, & monenti. Hoc modo cum à uerbo Dei ordimur, facile intelligi potest, concurrere has causas, uerbū Dei, spiritum sanctum, & uoluntatem, quæ adiuta à spiritu sancto repugnat naturali imbecillitati, & sustentat se uerbo Dei. Sicut ille apud Marcum inquit: Credo Domine, sed adiuua incredulitatem meam. In hoc certamine constat humanam uoluntatem posse eicere uerbum Dei. Itaq; cum retinet, adiuta à spiritu sancto, certe ipsa secū luētatur nec est prorsus ociosa. Sed hæc alibi copiosius disputantur. Hic satis est de externis actionibus, & moribus dicere. Quos quidem deus etiam à nobis requirit. Et quanquam in his diligentia nostra aliquid ualet, tamen sciamus auxilium Dei petendum esse, ut resistere diabolo, & superare imbecillitatem naturæ nostræ possimus.

QUID EST AFFECTVS?

CVM hæctenus de causis uirtutis dixerimus. Affectus autem interdū sint obiecta uirtutū interdū etiā affine quiddā, prius de affectibus dicendū est, quàm ad partitionem uirtutis ac species accedimus, præsertim cum multæ ac uariæ controuersie de affectibus extiterint, & de eis non raro male iudicent etiam Theologi ridicule applaudentes Stoicis propter nouitatem. Porro ut pleræq; alie dispu-

tationes Aethicae sumuntur in iunctura à Physicis, ita exacta explicatio affectuum à Physicis petenda est, sed definitionem breuiter.

Affectus qui sic proprie dicitur, est motus quo sensus aut uoluntas prosequitur aut fugit rem oblatam. Sicut enim pulsata cutis afficitur, ita impellitur cor cum offertur res aut placens aut displicens.

Suntque organa doloris et delectationis in tactu omnes partes corporis, tum exteriores tum interiores. Sed praeter tactum, cor principale organum est omnium affectuum, qui ad appetitum sensituum pertinent. Ac seruiunt cordi in alijs motibus alia membra: ut cum ira concitatur cor, mouetur rubra bilis, et exaestuat et incendit sanguinem. Cum tristitia uerberatur cor, cietur atra bilis, et ex splene effunditur et inficit reliquum sanguinem, adeo ut morbos afferat $\dot{\nu}\pi\sigma\chi\omicron\nu\delta\epsilon\iota\varsigma$ et alios, in metu sanguis refugit ad cor, in letitia dilatatur et diffunditur sanguis. Sunt enim summa genera affectuum, letitia, spes, dolor, seu tristitia et metus. Ex his comixtis fiunt ceteri affectus. Amor mixtus est ex spe et leticia. Ira ex dolore et cupiditate uindicta, hoc est depellendi aduersa. Misericordia ex dolore et amore oritur. Itaque Galenus inquit duos esse motus cordis. Alterum natuum, cuius causa non est foris, uidelicet pulsus arteriarum. Alterum cuius causa

ius causa extrinsecus est, quæ uocat Palmon, hoc est uibrationē, seu palpitationē, cum uidelicet cognito obiecto uerberatur ita, ut aut refugiat aut profequatur rem oblatam. Hic motus inquit si est uehementior, est $\pi\acute{\alpha}\theta\textcircled{\text{S}}$. Sed alie sunt appetitiones naturales, quæ pertinent ad animam uegetatiuam seu altricem. Harum organa sunt membra disposita ad nutritionem, ut famem irritat Melancholia in orificio stomachi.

EST NE PROBANDA STOICORUM $\alpha\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha$, qui simpliciter omnes affectus improbant?

NEquaquam. Duplices enim sunt affectus. Alii cum ratione consentiunt, ut amor coniugum liberorum, beneuolentia erga benemeritos, misericordia erga calamitosos, irasci ijs qui iniuriam inferunt. Hi affectus boni sunt & uocantur $\sigma\acute{o}\phi\gamma\alpha\epsilon\phi\acute{o}\sigma\iota\kappa\alpha\iota$, & erant in natura hominis futuri, etiam si non fuisset corrupta uitio originis. Nam affectus omnes ex natura tollere, est motū & uitam tollere. Primū enim constat, naturales appetitiones necessarias esse, famem ac sitim, neq; enim ali animal posset nisi cibum ac potum attraheret. Deinde & sensu appetitiones oriuntur ex ipsa natura, & sunt cause motus animantium, ut dolor in morbo corporis, ut

in calculo, aut affectus nervis. Non accersitur opinio
ne aliqua, sed existit inde, quia morbus est res non cō
ueniens naturæ, sed corrumpens naturam cuius cor
ruptionis sensus est dolor, fugit autē quælibet natu
ra corruptionē. Quare dolorem fugit. E contra pro
sequitur conservationem, quare expetit oblectatio
nem. Oriuntur igitur affectus ex ipsa natura, &
impellunt animantia ad prosequendum aut fugien
dum. Sed nolo esse prolixior in re manifesta. Verum
est enim quod Aristoteli inquit:

Stultum est stultas sententias accurate refellere.
Inter animæ potentias recte numeratur appetitiva.
Ergo appetitiones sunt necessarie animantibus.

Ad hæc natura fecit organa appetitionum, neces
se est igitur aliquas esse appetitiones animantium.
Sicut instrumenta sunt in membris quæ trahunt, re
tinent ac percoquunt nutrimentum, & eiciunt su
perflua. Sic conditi sunt motus cordis, & ad hos
ciendos natura additæ sunt fibræ, qui prosequuntur
uel fugiunt obiecta, & cient alios humores in alijs
affectibus. Et corda tenera motus habent mitiores
& humaniores, dura & rigida imitiores. Cum igi
tur affectuum causas natura animantibus indiderit,
necesse est appetitiones non omnes vitiosas esse.
Præterea constat amorem erga liberos non accersi
tum esse opinione. Errant igitur Stoici cum omnes
affectus

affectus iudicant uitiosos esse, & ex natura homi-
 num tolli omnes affectus uolūt. Sed fefellit eos quod
 uiderunt horribilem quandam confusionem affectu-
 um esse, ac plurimos uitiosos esse, et maximam ho-
 minum partem ardere & incensam esse pessimis cu-
 piditatibus. Ideo disputauerunt affectus esse res ma-
 las, nec oriri à natura quæ est bona. Sed non debe-
 bant naturam spoliare omnibus affectibus simplici-
 ter, etiam si multi mali motus sunt. Est enim reliqua
 etiam quædam species bonorum affectuum. Quæ qu-
 tem sit causatanti dissidij ac dissimilitudinis, doctri-
 na Christiana monstrat. Sunt igitur boni affectus
 qui cum ratione consentiunt, ut amare coniugem, li-
 beros, communem hominum salutem, misericordia
 affici erga bonos oppressos calamitatibus, irasci im-
 probis &c. Hi inditi sunt hominibus ut stimuli sint
 uirtutis, sicut facilius incitatur equus per sese acer
 ac uolucris, ita uirtutes fiunt firmiores cum acce-
 dunt excitatæ inclinationes ac sógyæ. Facilius
 enim obtemperant homines recto iudicio cum simul
 incitantur talibus affectibus. Huiusmodi excitatæ
 inclinationes & sógyæ sunt uere dona Dei. Qua-
 re non recte iudicant theologi, si qui applaudentes
 Stoicis disputant omnes affectus ex natura tollen-
 dos esse. Postremo motus excitati in animis à spiri-
 tu sancto uerissimi sunt affectus, ut timor Dei, fidu-
 cia,

cia, dilectio Dei, zelus seu indignatio aduersus impietatem, misericordia. Item Heroici motus sunt dona spiritus sancti. Quare non est sentiendum omnes affectus uitiosos & eijciendos esse. Alij sunt affectus qui pugnant cum ratione, uidelicet qui cum legenturae aut decalogo, aut alijs honestis legibus pugnant, ut alterius coniugem, opes alienas concupiscere. Hi affectus sunt morbi quidam, & simpliciter uitiosi ac damnandi.

VNDE ORTA EST HAEC DIS
similitudo affectuum in natura
ra hominis.

Magna admiratio semper tenuit uiros sapientes, unde sit hoc horribile disidium in natura hominis, quod cum reliquae res omnes suae naturae obtemperant. Sol enim non mutat naturalem cursum, leones, equi, pisces, non pugnant cum sua natura, apes, formice, sequuntur indolem suam. Tantum homo acerrimos habet impetus, contra quam propria natura docet & uocat homines. Ac profecto digna res est admiratione, unde in tam excellenti natura tam monstrosa dissensio extiterit. Recte dicit Quintilianus, magis mirum esse homines esse malos, quam aliquos esse bonos, cum uirtus sit secundum naturam. Sed causam huius disidij non potest uideri
re phi

re philosophia, uerum doctrina Christiana mōstrat causam, scilicet uitium originis. Si enim natura hominis non esset corrupta uitio originis, omnes affectus obedirēt legi Dei, & iudicio rectæ rationis. Nā ad hanc obedientiam homines conditi sunt, sicut ad uolatum aues, ad natandum pisces. Verum quia corrupta est humana natura uitio originis, amisit firmā Dei notitiam, & uirium inter se obedientiā & harmoniā. Nunc igitur herēt in natura, ignoratio Dei, dubitatio de Deo, & inobedientia inferiorum uirium, quæ parit multas cupiditates inordinatas & nō obtemperantes legi Dei. Et tamen interim manserūt aliqui boni affectus, qui uersantur circa res subiectas sensibus, uidelicet circa ciuilem conuersationem, qui etiam si contagione malorum contaminantur, tamen motus quidā naturales & Dei dona sunt perinde ut notitiæ ueræ earum rerum quæ rationi subiectæ sunt. Hanc causam uitiosorum affectuum ostendit doctrina Christiana, quæ hoc magis amari debet, et quod tanti morbi causam quæ sitam in Philosophia tam clare monstrat, et quod remedia exhibet, de quibus concionatur Euangelium. Apud Galenum in quinto de dogmatibus Hypocratis & Platonis, extant elegantes uersiculi, quos dicit esse Cleanthus, qui describūt dissidium rationis & affectuum. Sic enim inquit ratio ad affectum.

Ratio.

Ratio. Quid illud est quod uult cupiditas dicitur
Affectus. Vt omnia que uolo faciam, nam id
 regium est.

Ratio. Dic rursus hęc sententiam mihi clarius.

Affectus. Quęcumq; concupisco ut fiant omnia
 Hi uersiculi clarissime pingunt inordinatos et teme
 re errantes animi motus. Quare agnoscenda est na
 ture infirmitas, ut ratio ei repugnet, ut aturq; & su
 is uiribus, & auxilio Christi, & bonos motus con
 formet ac adiuuet.

Q U I D A R I S T O T E L E S S E N
 sit de affectibus ?

Aristoteles sensit non prorsus ex natura homi
 nis tollendos esse affectus. Videt enim uim ap
 petendi ad ipsam substantiam animalium pertinere.
 Neque enim animantia possunt prosequi conueni
 entia & contraria fugere, nisi haberent appetition
 nes & affectus. Iudicat igitur affectus inditos esse
 nature hominis, ut incitent ad uirtutē, uidelicet ut
 impellant ad agendum. Quia prosequuntur conue
 nientia & fugiunt contraria, & quia uidet affectus
 in natura nō esse ordinatos, ideoq; partim bonos par
 tim uitiosos esse. Recte igitur præficit eis gubernat
 orem, scilicet iudicium rationis quo reuocentur ad
 mediocritatem, ne uel omnino ex natura tollat ap
 petitiones.

petitiones, uel erumpant quasi extrametas. Ideo inquit Aristot. iram adiutricem esse fortitudinis, sed ea utendum esse ut milite, non ut duce. Ita et reliquos affectus prodesse sentit ut exstimulet naturam ad agendum. Sed docet eos regendos esse ratione, ne longius euagentur & designent aliquid contra rationem. Hæc est summa sententiæ Aristotelis, quæ quidem est ciuilibus moribus aptissima. Nam & leges hanc mediocritatem requirunt, cum non affectus, sed facta prouincunt, quemadmodum dicitur: Cogitationis pœnam nemo patitur. Et si Philosophia in ipso etiam affectu moderationem requirit. Ut igitur Homerus pingit Achillem cum iratus gladium stringeret aduersus Agamemnonem, retrahi capillitio à Pallade, ita sciamus ardentem & concitatum animi motum ratione cohibendos esse. Cæterum & sacre literæ docent ut supra dictum est, in natura hominis oportere affectus existere, & partem quandam affectuum quamuis in hac imbecilli natura, tamen bonam esse. Sed de bonis præcipiunt ut lege Dei regantur, uidelicet ut ne uitam nostram aut liberos nostros anteferamus uoluntati Dei. Deinde iubent ut malis affectibus resistamus, qui uidelicet cum lege diuina pugnant. Interim uero monent sacre literæ, ne malos quidem affectus ex animis penitus eijci posse in hac uita, & tamen hanc disciplinam appro-

bat

*fra li vng men
hym p ipi...*

bat Deus, si coherceantur mali affectus. Quemade-
modum Paulus inquit: Si spiritu facta carnis mortifi-
cabitis, uiuetis. Atq; ea indulgentia ingens signifi-
ficatio est misericordiae.

RECTE NE PLATO DIXIT
homines inuitos esse malos!

Saepe citatur haec sententia, & applaudunt ei
multi non aliam ob causam nisi propter absur-
ditatem. Sed toties iam dictum est, absurdas opinio-
nes et incommodas morib; fugiendas esse, et de figu-
ratis ueterum dictis prudenter iudicandum est. Sae-
pe autem Plato suis quibusdam figuris ac delitijs lu-
dit, in quibus interpretandis opus est singulari pru-
dentia. Hoc dictum, Plato nequaquam uoluit accipi
de externis actionibus. Nō hoc sentiebat, necessario
homines turpia facta perpetrare, aut nullo modo
posse cohiberi affectus, sed sentiebat in hominibus
magnam imbecillitatem esse repugnantem iudicio
mentis. Et quidem nonnullos habere naturas male
temperatas ac distortas quae difficulter coerceri pos-
sunt. Qualis fuit in Catilina natiua crudelitas. Lo-
quitur igitur de naturali imbecillitate, item de uitio-
sis temperamentis, et mala consuetudine. Ac uidet
Plato iudicio mentis uocari homines ad uirtutem, et
huic iudicio debuisse obedire omnes uires inferioris.

res. Iam cum non obtemperant, sed magna uī sēpe repugnet affectus, dixit homines inuitos malos esse, id est improbante iudicio rationis, seu contra quam natura hominis si incorrupta esset duceretur. Quod si sic intelligitur Platonis dictum de naturali imbecillitate, aut uitiosis temperamentis, uera est sententia. Significat enim atrox disidium esse Iudicij & Affectuum. Et quidem sēpius obtemperant homines affectibus quā recto iudicio. Porro quæ sit causa disidij illius, supra dictum est. Et tamē de actionibus externis semper retinenda est sententia, quod uoluntas domina sit externarum actionum, & cohibere affectus possit si annitatur. Et quanquam natura imbecillis est, tamen ut egrotus pedibus imperare potest, ut aliquo modo incedat, etiamsi eum morbus retardat, ita uolūtatē obtēperare possunt inferiores uires, etiamsi retardantur imbecillitate naturæ. Est autem in alijs ingenium ad ciuiles actiones magis, in alijs minus foelix, sicut alij grauius alij leuius egrotant. Testantur & ipsæ leges uolūtatē liberam ac dominam esse externarū actionum. Neque enim conderentur leges nisi uoluntas eis obedire posset. Et quoniā præcipue gubernant uolūtatē leges, ideo tantū delicta sponte facta puniuntur. Hæc satis sit monuisse de dicto Platonis, quod cū sit impropriū, & pariat opinionē absurdam, relinquendū est.

Ceterum illa in Timeo disputatio non est ineredita, ubi monet distorta temperamenta causas esse multorum uitiorum, & saepe naturas efferatioris reddi. *Νὴ δὲ ἀπαιδεύτορ φύσις*, id est, maleducatione ac uictu, & iubet uitiosam naturam reafrenare disciplina, doctrina, & honestis exercitijs. Sentit igitur externas actiones in potestate uoluntatis esse, etiamsi naturalis imbecillitas hareat in hominibus non accersita, sed nobiscum nata. Multum igitur prodest animaduertere ad quae uitia quisque propensus sit, ut maiore studio atque conatu istis reapugnet.

QVAE EST PARTITIO
Virtutis?

Sicut Artes ita et Virtutes discernuntur per obiecta et fines. Medicina enim discernitur à Musica, quia Medicina uersatur circa agrum corpus curandum. Musica circa sonos. Ita cum uirtutum species distribuuntur, requiri debent obiecta & fines, idque sit in uniuersum in habituum partitione. Quomodo autem Philosophi diuidant uirtutis species, postea recitabimus. Prius enim distribuemus eas iuxta gradus praceptorum Decalogi, cum nulla sit aptior Methodus uirtutum, quam Decalogus. Quare species aptissime & exactissime ex ordine praceptorum

torum Decalogi sumi possunt. Nec est ἀτεχνὸς hic ordo, sed sumitur ex ordine obiectorum, quemadmodum Dialectici de habitibus diuidendis præcipiunt. Summum ac primum obiectum bonarum actionum est Deus. Debent igitur primæ ac præcipuæ uirtutes esse quæ uersantur circa Deum. Quare Decalogus aptissime primum de hoc genere uirtutum præcipit. Et si autem Philosophia seu humana ratio non satis perspicit uirtutes illas primæ tabulæ, scilicet perfectam obedientiã, perfectam dilectionẽ etc. tamen disciplinam humanam intelligit, quæ umbras aliquas uirtutum illarum efficit. Hærent enim in hominibus noticiæ quædam quamuis obscuræ de Deo, nec prorsus deleta est ex animis lex nature. Retinet igitur Philosophia has sententiã, quod sit Deus, quod Deus sit iustus, quod postulet obedientiã, quod puniat delicta, & quidẽ ipsa experientia cõmonefacit rationẽ quod diuinitus puniatur insignia et atrocia scelera, ut non solum homicidarum & tyrannorum exitus, sed ipsi conscientie terrores, qui diuinitus existunt in omnibus sceleratis, testantur. Quare & ipsa Philosophia religionem, hoc est reuerentiã erga Deum, inter uirtutes ponit. Et omnium gentium leges, manifestum cõtemptũ Religionum punierunt.

Primum præceptum docet de cultu in animis. Prima igitur uirtus, etiã apud Philosophos, est religio

animorum, id est, timor Dei, quod statuimus esse Deum, Deo obediendū esse, diuinitus puniri scelera.

Secundum preceptum, docet de cultu exteriori, hoc est de usu nominis diuini, estq; proxima uirtus, religio iurandi, cōseruatio honestarum opinionum de Deo, auersari blasphemos & Epicurcos sermones, inuocatio Dei.

Tertium preceptum de ceremonijs docet, estq; tertia uirtus, reuerētia erga ceremonias, diligentia cōseruandi pijs ceremonias. Hæ uirtutes ad disciplinam & pedagogiam necessariae sunt. Ideoq; Philosophia seu ratio eas & intelligit & requirit, & legislatores de eis honestissimas leges tulerunt. Et quidem magistratus, cū totius legis custos esse debeat, quod ad externam disciplinam attinet, complecti hæc debet. Ideoq; in iureiurando Athenienses erant hæc uerba: Pugnabo pro sacris & cum alijs & solus. Ceterum, uera uirtutes primæ tabulæ sunt, uerustimor Dei, uera fiducia misericordie, obediētia, explicatio doctrinæ, inuocatio, gratiarum actio, confessio, cōseruatio ceremoniarum.

Secunda tabula continet uirtutes quæ uersantur circa societatem hominum. Prima est obediētia erga superiores. Nam hæc ciuiliſ societas retineri nō potest, nisi sit ordo quidam hominum inter se, quo alij præ sint alij obtemperent. Ideo & apud philosophos

phos, iusticia uniuersalis, id est, obedientia erga leges & superiores, est precipua uirtus. Species sunt, pietas erga parentes, liberos, iusticia magistratum erga subditos, subditorum erga magistratus.

Quintum præceptum de tuendis corporibus præcipit. Huc pertinet iusticia particularis, quæ prohibet iniurias corporum.

Sextum de coniugio, uetans uagas & incestas libidines. Huc pertinet continentia.

Septimum præcipit de iusticia particulari, quæ prohibet iniurias fortunarum. Atq; ita sancit distinctionem dominiorum, docet iusticiam in contractibus seruare.

Octauum de ueritate præcipit. Constat enim ad societatem hominum maxime necessariam esse fidem pactorum, ueritatem in iudicijs, contractibus, & in omni conuersatione. Nam ne quidem in priuata cõsuetudine tolerari possunt fucati & perfidiosi homines. Ita includi possunt in Decalogum omnes uirtutes, nec profecto ulla methodus excogitari commodior aut aptior potest, ac si contempleris ordine præcepta Decalogi, uidebis quasi imaginem quandam pulcherrimæ cõstitutæ ciuitatis. Et quem admodum Aristoteles inquit, unã optimam esse politiam quæ est secundum naturam. Ita recte dixeris unam hanc imaginem ciuitatis optimam esse, quæ est

in Decalogo expressa. Primum enim constituit religionem, postea magistratus. Deinde addit magistratum legem qua prohibet iniurias, postea sancit coniugia, deinde distinguit rerum dominia, postremo constituit iudicia. Ac Decalogus plane philosophatur, distribuens uirtutum species per obiecta. Philosophi autem partiuntur species cum per obiecta, tum per fines. Nam uirtutum alie gubernant communem societatem, alie gubernant singulos ad naturam & honestatis conseruationem. Sumuntur autem fines uirtutum ex finibus nature humane, unde etiam leges nature colliguntur. Sunt autem fines hominis, conseruatio nature, conseruatio ciuilis societatis, propriarum actionum exercitium. Homo est conditus ad societatem, ergo opus est homini noticijs & uirtutibus gubernantibus societatem. Est igitur nature lex, ut alij presint, alij obtemperent. Hinc oritur prima uirtus iusticia uniuersalis, quae est obediencia erga leges. Deinde in societate opus est mutua communicatione, quae non potest esse durabilis, nisi seruetur certa quadam ratione equalitas. Hic oritur iusticia particularis. Et in contractibus, iudicijs, deinde in omni conseruatione necessaria, pactorum & dictorum constantia. Hinc oritur ueritas. Neccessaria est etiam ad societatem

tem defensio aduersus uim iniustā. Hinc oritur for-
titudo. Neccessaria est item ad societatem, gratuita
quædam officiorum communicatio. Cum enim ho-
mines hominum causa nascantur, præstare omnia
officia debent, quæ sine incommodo alijs necessario
ipsorum tempore præstare possunt. Hinc oritur li-
beralitas, huic respondet gratitudo. Non enim po-
test conseruari natura nisi sit mutua beneficentia.
Conuenit homini etiam intellectus ordinis, reueren-
tia erga uirtutem, & studium suauitatis in commu-
nicatione sermonis, & omni conuersatione. Hinc
oritur urbanitas seu comitas. Quædam noticiæ &
uirtutes gubernant proprie singulos, & cōducunt
ad conseruandam naturam, ut modestia, temperan-
tia, & similes uirtutes, quæ mediocritatem efficiunt
in doloribus & uoluptatibus, ut conseruari natura
possit. Est & insita hominibus noticia de Deo, quod
Deo placeat iusticia, quod puniat iniusticiā. Ideoq;
natura præcipit ut Deū timeamus, & inuocemus.
Hinc existit uirtus qua Deum colimus, quæ religio
aut pietas uocatur. Ita ex finibus humanæ naturæ,
colliguntur leges naturæ, seu noticiæ naturales, quæ
regunt & pariunt uirtutes. Hæc est apta distribu-
tio uirtutum, quæ deducit nos ad ipsos fontes seu cau-
sas uirtutum in natura positas. Ac si quis hanc par-
titionem confret cum ea quæ sumitur ex Decalo-

go, animaduertet gradus utriusq; partitionis non multum inter se discrepare.

Leges naturæ commodissime ita definiuntur, quod sint noticiæ diuinitus impressæ mentibus hominum, nobiscum nascētes, hoc est, iudicia quædam de moribus, quæ sunt quoddam mentis lumen, sicut oculis suum lumen inditum est. Philosophi uocant eas principia practica, & conclusiones ex his ortas *κοινωνία ἐν νομοῖς ἢ πρὸς νόμους*, quia natura certatur, hoc est natura eis assentimur admoniti, nec est opus probatione. Estq; operæpretium cōsiderare, quod sicut cæteræ artes certæ sunt, quia ex his principijs oriuntur, ut Arithmetica aut Geometria, sic etiam certa est doctrina de moribus, quia hæ certissimæ noticiæ pariunt eam. Quæ in re illud etiam cōsiderandum est, mirabilem quandam esse hominis dignitatē, quod hæc diuina sapientia, uide licet ipsa lex Dei, lucet in animis. Nam leges naturales sunt ipsæ leges Decalogi.

Prima lex, homo est præcipue conditus ad intelligendū Deum, uidelicet quod sit Deus, quod sit sapiens, bonus, iustus, cōditor & gubernator rerū, quod puniat iniustos in hac ciuili consuetudine. Itē quod sit obediendū Deo & iudiciū eius metuendum. Hæ sunt ipsissima uoces conscientie in omnibus hominibus, & sunt conclusiones ex demonstratione ortæ.

Homo

Homo debet obedientiam summo conditori, quia
 ipse causa conditi sumus, ut ipsi obtemperemus,
 & eum illustremus.

Ille summus conditor est Deus.

Ergo homo debet obedientiam Deo.

Ad hanc legem pertinent cetera de rebus diuinis.
 Lex de iuramentis, item de ceremonijs non uiolan-
 dis. De iuramentis hæc est ratio. Mens humana de-
 bet uere statuere, Deum respicere humana & ulci-
 sci scelera, in iuramento affirmamus Deum esse ulto-
 rem, & petimus ut nos quoque puniat si fefellerimus.
 Ergo uere hoc affirmare debemus, & perfidis im-
 pendent poenae.

De ceremonijs, homines debent conseruare noti-
 ciam Dei.

Ceremoniae sunt signa noticiæ Dei.

Ergo ceremoniae sunt conseruandae.

Hæc leges pertinent ad primam tabulam.

Sequuntur cetera leges.

Quaelibet natura cupit sese conseruare, & quan-
 tum fieri potest speciem suam. Ideo cupiditas & uis
 procreationis indita est hominibus, sicut & ceteris
 animantibus. Sed hoc interest, quod hominibus addi-
 tum est iudicium, quod uagi concubitus displiceant
 Deo, ideo statuit certis legibus connubia contra-
 henda esse.

Quinta. Homo conditus est ad societatem ut testatur ipsa procreatio & educatio sobolis. Porro principalis finis cur ad societatem conditi sumus est, ut in hac societate homines doceatur, & præcipue de Deo. Necessaria igitur est conseruatio societatis. Hinc oritur lex: Neminē ledas. Ex hac lege oritur uirtus Iusticia.

Sexta. In societate homines opus habēt recto-ribus & defensoribus, ideo alios oportet præesse, alios obtemperare. Hinc oritur lex: Magistratus esse necesse est, & obtemperandum est magistratibus. Hæ leges pertinent ad quartum præceptum, & pariunt uirtutē, obediētiam, seu Iustitiā uniuersalem.

Septima. Defensio humani generis necessaria est, & ut conseruetur species uelut corpus, uitiosa mēbra tollenda sunt. Ideo necessariae sunt poenae illorum, qui perturbant societatem, quare et bellane-cessariae sunt. Huc pertinet lex: Vim ui depellere licet, uidelicet in defensione legitima, & pertinet huc uerba Iurisconsulti qui ait: à iure gentium orta esse bella, seruitutes, imperia &c. Et ex hac lege fortitudo oritur, quæ est propugnatrix Iusticia.

Octaua. In hac natura quia cupiditates hominū nō sinunt ut æqualiter rebus fruamur si sint communes. Ideo necessaria est distinctio dominiorum. Hæc lex pertinet ad septimā: Non furtū facies. Et oritur hinc

hinc iusticia species, quæ in rebus suū cuiq; tribuit.

Nona. Et tamen quia alij aliorum opera & rebus opus habēt, communicatio ratione faciēda est, quæ ut possit esse perpetua, æqualitas in communicatione mutua seruanda est. Hinc oriuntur contractus & iusticia quæ seruat æqualitatem in contractibus. Sicut honestissime dixit Euripides: ἄϊσορ νόμιμον ἀεί.

Decima. Pacta & conuenta seruanda sunt. Nā neq; contractus, neq; iudicia, neq; fœdera populorū existere possent, nisi fides pactorum & dictorū seruaretur. Præterea & ipsa ueritas maxime secundū naturam est. Homo enim conditus est ad inquisitionem & intellectum rerum, ueritas autem est intelligere res ut sunt. Quare ad ueritatem, hominis natura condita est. Ex hac lege oriuntur, ueritas, prudentia, & similes uirtutes, & pertinent ad octauū præceptum: Non dices falsum testimonium.

Vndecima. Cum natura appetat conseruationem sui, iudicat in uictu fugiendam esse intemperantiā quæ nocet naturæ, iuxta illud Hypocratis. πᾶρ ἄπολύ πολεμείου τῆ φύσιν. Hinc oritur uirtus temperantia.

Duodecima. Solus homo ordinē intelligit. Ideo iudicat gradus faciendos esse personarum, locorū, temporū. Item intelligit moderationem affectuum.

conuenire

conuenire naturæ. Nam immoderate uoluptates & immoderati dolores enecant naturã, aut certæ actiones impediunt. Hinc modestia oritur quæ moderatam onem efficit affectuũ. Item urbanitas quæ conuenientes actiones, personis, locis & temporibus distribuit.

Hæ sunt præcipuæ leges naturæ. Ac colligi plures possunt, sed si quæ hic desiderantur, infra in uirtutum definitionibus recensentur. Nam tota Philosophia moralis re ipsa & uere est explicatio legis naturæ, monstrat enim quomodo in natura scripta sint præcepta actionum, ad quas hominis natura proprie condita est. Quod cū ita sit, quantæ eius auctoritas esse debeat, facile iudicari potest. Nam ius naturæ, uere est ius diuinum, ut sæpe iam dictum est.

PHILOSOPHIAE MORALIS
Liber Secundus.



Actenus tradidi Definitionem, Causas, Effectus uirtutis, & uicina quædam. Enumeraui etiam species. Restat igitur ut has explicemus.

Primum autem de Religione dicendum erat, sed de hac consulantur sacræ literæ. Nam cum religio duo comprehendat, Timorem Dei, & Fiduciam misericordie propter Christum promissæ, quomodo hæc memora

hæc membra intelligi debeant, copiose docent sacræ literæ. Et certe Philosophia de gratuita remissione peccatorum nihil docet. Cæterû, ratio apud omnes gētes iudicat esse Deum, sapiētem, bonum, iustum, conditorem & conseruatore[m] rerû, timendas esse pœnas quibus flagitia puniuntur diuinitus. Hæc legis notitia timorem parit. Præterea iudicat ratio externam professionē & cæremonias propter disciplinam diligenter conseruandas & honore afficiendas esse, sicut Herodotus de Cambyse grauissimè dixit: Insanire eos qui sacros ritus deridēt. Cum igitur properem ad eas uirtutes de quibus Philosophi præcipue disputant, & quibus utimur erga homines, incipiēdum est à regina uirtutum Iusticia, de qua uere inquit Aristoteles: Neq; Hesperum, neq; Luciferum formosorem esse Iusticia. Hæc enim gubernat cæteras uirtutes & præcipuū uinculum est societatis ciuilibis.

EST NE SIMPLEX

usus uocabuli?

MInime, nam iusticia aliàs significat in genere obedientiam erga omnes leges & complectitur omnes uirtutes, ut cum dicimus Aristidem esse iustum ciuem &c. Et cum de iusticia legis sacræ literæ loquuntur, intelligi obedientia erga omnes leges debet.

ges debet. Ut feci iudicium & iusticiam. Secundo significat tantum eam uirtutem quæ in iudicijs & contractibus suum cuique reddit. Tercio, in Pauli disputationibus iusticia significat imputationem iusticiæ, seu diuinam acceptationem ut cum dicitur, imputatum est ei ad iusticiam. Sed de hac significatione nihil dicunt Philosophi, ego uero recensui ut significationum uarietas diligenter obseruetur, nec uero plures sunt significationes quam hæ tres. Quia autem diuersæ significationes continent diuersas species, diuisio earum principio tradenda est.

QVOT SVNT SPECIES IUSTITIE?

Aristoteles sumpsit partitiones Iusticiæ à Platone, ac speciebus nomina attribuit, ut ea quæ à Platone cõfuse disputata sunt distingueret ac clarius explicaret. Ac prima diuisio est iusticiæ, in uniuersalem & particularem. Uniuersalis est obedientia erga omnes leges, & cõplectitur omnes uirtutes. Ideo autem transfertur nomen iusticiæ in genere ad totum chorum uirtutum, quia redditur obedientia debita seu legibus seu magistratibus. Ita breuiter describit iusticiam uniuersalem Aristoteles. Sed Plato omnium uirtutum uim et naturam inde exordians

exordians, copiosius describit hanc speciem, eamq;
 facit duplicem, priuatā in singulis hominibus, quæ
 uidelicet est obedientia inferiorum uirum erga ra-
 tionem, hæc est prima uirtus. Ac profecto eruditæ
 & apte cogitatum est, primam uirtutem hanc iusti-
 ciam esse. Sicut enim iusticia alioqui uinculum est
 societatis in consuetudine hominum, & debitum a-
 lijs reddit, ita primum in nobis ipsis, uelut domus,
 partes hominis consociandæ coniungendæq; sunt.
 Hæc consociatio qua debitum singulis partibus tri-
 buitur, iusticia uocatur, uidelicet cum ignobiliores
 obtemperant præstantioribus. Aptissime igitur Pla-
 to hanc iusticiam primam esse uirtutum docuit. Pri-
 mum enim nostra natura per sese considerata &
 regenda est, postea deducendus est homo ad commu-
 nem societatem. Et quidem Plato discernit uires ho-
 minis, ita ut harmoniam esse debere dicat, qualis est
 inter ὡνάσει, μέσση, & ῥέπει. Ut infima &
 grauissima uox Hypate est certa & regit cæteras,
 sic rationis iudicium certum est, uidelicet lex natu-
 re. Deinde μέση significat appetitiones cordis,
 quæ, cum ratione reguntur, harmonia uirum homi-
 nis constat. Nethè est octaua quæ longissime abest à
 ratione, uidelicet appetitiones uoluptatum in cibo
 & potu, quæ minus obtemperant rationi, sed hæc
 quoq; ratione regendæ & frenandæ sunt. Hanc har-
 moniam

moniam & hūc cōsensum ait Plato primā iusticiam
 & primam uirtutem esse. Ab hac uelut domestica
 transfertur exemplum ad societatem humani gene-
 ris. Et ad eundē modū uocatur uniuersalis iusticia
 obedientia erga leges, uidelicet quia debitum reddit
 gubernatoribus. Cū enim hæc societas nō coli aut cō-
 seruari sine gubernatione possit, necesse est pri-
 man uirtutem etiam in societate obedientiam esse.
 Et cū alioqui non recenseatur appellatio obedientie
 inter appellationes uirtutū, hic meminimus eā ad
 iusticiam proprie pertinere, & obedientiam primā
 uirtutem esse ac dici iusticiā, quia est Harmonia, pri-
 mū uirium hominis inter sese, deinde hominum in cō-
 muni societate. Hæc initia uirtutum eruditissime pri-
 mum ex natura ducuntur. Primum enim natura ho-
 minis per sese consideranda est, deinde deducētis
 homo ad communem societatem.

QVID EST IUSTICIA
 particularis :

Definitio Symonidis recte ad hanc conuenit.
 Iusticia est uirtus quæ suum cuiq; tribuit.
 Nam Iusticia gubernat actiones quatenus suscipi-
 untur erga alios. Sed ut natura eius perfici possit,
 species recensendæ sunt.

QVOT

QVOT SVNT SPECIES

Iusticiæ particularis?

DVæ, Distributiua & Commutatiua. Estq; hæc partitio aptissime ex natura sumpta, & ualde necessaria. Et ut recte itelligamus has species, tota Respublica & uniuersa hominum societas animo intuenta est. In uniuersa societate tantum duo genera sunt communicationis, aut enim res communicamus seu commutamus, aut ordinamus personas, ut imperia, magistratus, gradus in ciuitatibus, in exercitu, & in familijs constituantur. Hic nemo non uidet his duobus membris gubernari & contineri totam uitæ societatem.

Res autem commutantur per contractus. Et cū hæc cōmunicatio quæ fit uictus causa in infinitum uagetur, necesse est in ea æqualitatem effici, hoc est æqualia pro æqualibus reddi. Nam si qui darent sine precio, his fame pereundum esset, nec esset diuturna communicatio. Hinc sunt illæ sententiæ, Ὀλοῦ τι καὶ λάβε τι, & τὴν μὲν δίδωμι χάρις ἵνα τὴν λάμβάνω. Nisi enim essent mutue uices, non posset esse perpetua communicatio. Ideo definit Aristoteles iusticiam cōmutatiuam esse, quæ commutat æqualia proportionem Arithmetica, id est, quæ simpliciter rerum æqualitatē efficit sine collatione personarū, ut modius tritici non uenditur pluris aut minoris

noris principi quàm plebeio. Nam Arithmetica proportio est in qua dispositis tribus numeris medius à proximis pariter excedit & exceditur, ut 1. 2. 3. hic unitate superat medius & superatur. 3. 5. 7. hic binario superat medius & superatur. Primum autem hæc proportio certo ostendit excessum. Deinde natura huius proportionis est, quod medietas duplicata efficit summam utriusq; extremi. Ita reperitur summa æqualitas, ut sint duo numeri. 7. & 7. emptor & uenditor, nam ante contractum pares sunt. Cum autem emptor abstulit mercem, & non soluit 7. sed tantum. 4. iam emptor habet. 10. Iudex igitur querit quantum initio habuerit uenditor, uidelicet. 7. inde colligit excessum. Detrahit enim. 3. emptori habenti. 10. ut efficiat summam æqualitatem deprehensis excessibus.

Habet igitur usum cõmutatiua iusticia & Arithmetica proportio, in omni uita, ubicunq; sit rerum æstimatio seu compensatio, non solum in contractibus, sed etiam in iudicijs, in poenis, non solum ubi dånnum & lucrum, sed etiã ubi delictum & pœna æstimantur. Ut in pœna talionis homicidium necem punitur, sicut & cetera paria delicta, uis publica, grafsatorum impetus. Neq; ideo existimandum est nunquam consuli à iudice geometricam proportionem, imò hanc quoq; adhibet in consilium, sed non cõtinuat, quia

dicat, quia cum uenimus in iudicium iam antea oportet extare certū pœnæ genus, constitutum in quodlibet delictum, item certa pretia. Verum ante iudicia, uelut legislator, consulit geometricam proportionem. Ut cum pro dissimilitudine ingeniorum & nationū, atrociores aut mitiores pœnas constituit. Cum pro diuersitate temporum mutat pretia &c.

Q V I D E S T D I S T R I B V =
t i u a I u s t i c i a :

Est personarum ordinatio in omni uita, publica & priuata iuxta proportionem geometricam, uidelicet qua gradus officiorum & personarum constituuntur, & idoneis aptæ functiones tribuuntur, ut summus gradus in Ecclesia est diiudicatio & explicatio doctrinæ. Secundus, administratio iudiciorum. Tertius, administratio cæremoniariū. Infimus, procuratio reddituum, ædificationū, elemosynarum &c.

Querendæ igitur personæ aptæ singulis generibus, ad diiudicationem dogmatū, doctissimus, prudentissimus & optimus uir deligendus est. In reliquis non requiritur tanta doctrina. In procuratore reddituum satis est esse diligentem & economum, doctrina nulla requiritur.

Cum hæc proportio obseruatur, iusta est ordinatio, &

natio, & Harmonia salutaris ecclesie. Sed cū summa autoritas dijudicandi dogmata tribuitur indocto & impio Pontifici, qui cōtemnit iudicium Dei, & ut tyrannidem suā stabiliat, defendit impias opinionones, & detruditur uir doctus & pius, dignus priore loco ad infimum, ad procurationem reditū, ad quam fortasse non est idoneus, confunditur tota Harmonia ecclesie.

Ita si Marius domi gubernet Rempubicam, Catulus uero mittatur contra Cimbros, utroq; in loco periclitabitur Respublica. Nam Marius fœlix belator fuit, domi uero turbabat Rempubicam. Contra, Catulus idoneus erat ad retinendam urbis tranquillitatem, in re militari nō perinde fœlix erat. Sic Princeps, cancellarij munus sapienti potius commēdabit quā imperito, hebeti, infanti &c. Sic in familia uidendum, quid cuiuslibet personæ conueniat. Deniq; in omni uita priuata & publica, gradus negotiorum & ingeniorum intelligere debemus, & in quolibet peculiarem uirtutem animaduertere, considerare merita, ingenia, mores aliorū, ut suo quęq; gradu & loco collocemus. Hęc iusticia est præcipua conseruatricx Rerumpubicarum et priuatae cōsuetudinis. Ideo Plato sapientissime dixit, optimum reipublicæ statum esse, si sit constituta geometrica proportione, & quidem addit, Dei beneficium esse hanc pro

hanc proportionem in Rebus pub. Et quanquam exigua contingit, tamen si qua contingit, maximas in uita utilitates parit.

Ex hoc Platonis loco sumpsit Aristoteles hanc uenustissimam & aptissimam collocationem specierum iusticiæ ad Arithmeticam & Geometricam proportionem. Et quemadmodum Plato non tantum ac commodat hanc iusticiæ speciem ad præmiorum aut pænarum distributionem in iudicijs, sed ad constituendos gradus personarum in uniuersa uita priuata & publica. Sic Aristoteles etiam intelligi debet. Facile igitur iudicari potest ubi habeat usum iusticiæ distributiuam, uidelicet ubiq; in gradibus personarum ordinandis, in legèdis magistratibus, in imperijs, in exercitu, in familijs, in omni cõuersatione, ut dictum est.

RECTE NE DICTVM EST. IUSTI

cia est constans & perpetua uoluntas?

REcte dictum est. Estq; sententia, constans & perpetua uoluntas, id est, quæ regitur certo iudicio mentis, hoc est certa & perpetua noticiam naturali, aut certe noticijs quæ sunt cõsentaneæ illi naturali iudicio. Quamquam igitur negotia et casus uariant, tamen habet mēs certas noticias, ex quibus in illa uarietate pro diuersitate circumstantiarum iudicat quid sit iustū. Et cū his obtemperat uoluntas, iuste agit.

Quare netus illa definitio plena est eruditionis, quia admonet de causa iustitiæ, scilicet de notitijs illis regentibus uoluntatem. Nam ut ceterarum uirtutum causa aliqua est rectum iudicium, ita & iustitiæ causa aliqua, sunt illæ rectæ notitiæ quæ docent quæ actiones conueniant homini, & conseruent humanam societatem.

Altera pars, Ius suum cuiq; tribuens, apte accommodari potest. Primum ad commutatiuam, ut in rerum commutatione seruetur equalitas. Deinde ad distributiua, ut in legendis magistratibus, & ubiq; in ordinandis personis, aptæ functiones tribuantur idoneis. Porro notitiæ illæ, quas dixi, uocantur seu ius, seu leges. Proinde querendum est, quod sit illud ius, seu quæ sint illæ notitiæ.

QVOTVPLEX EST IVS?

Ius diuiditur in ius naturæ & ius positium. Ius naturæ proprie significat notitias naturales, hoc est principia practica, & conclusiones, rectæ & necessaria cõsequentiæ ex illis principijs orta, de actionibus quæ in hac societate conueniunt homini. Ac si præ Catalogum harum legum tradidi, quas si quis uult, ut dixi, commodissime complecti, ad Decalogum referat. Ita erit prima lex naturæ, Homines debent Deum agnoscere & ei obedire. Deinde secundum naturam

naturam est procreatio & educatio sobolis. Sunt igitur connubia certis legibus contrahenda, uagi cōcubitus prohibendi, procreanda & alenda soboles, sequuntur ceteræ. Nemo lædendus est, coercendi sunt qui tranquillitatem communem perturbant. Magistratus constituendi sunt ad defendendam tranquillitatem communem. Neesse est igitur parere magistratibus. Item ut tranquillitas seruetur, res diuidendæ sunt, suum cuiq; tribuendum, ueritas colenda est, & pacta seruanda. Sed hunc totum Catalogum supra recensui. Illud addendum est, has notitias naturales diuinam legem esse, quia diuinitus animis hominum indita sunt. Ideoq; paulus uocat has leges Roma. i. ius Dei. Hinc facile iudicari potest quod sit ius naturæ. Proprie autē significat ius, uel notitiam, uel facultatem agendi secundum hanc notitiam.

Ius posituum est sententia magistratus quæ addit ad ius naturale circumstantiam aliquam ratione probabili non necessaria, ut ius naturæ docet furti puniendæ esse. Deinde Magistratus addit speciem, uidelicet modum pœnæ, in quo constituendo sequitur probabilem rationem. Ingenia ferociora durioribus uinculis coercenda sunt. Germani non poterant coerceri leuibus pœnis. Ergo fuit utendum capitali pœna. Hæc non est demonstratio, sed tamen

probabilis ratio. Vt enim Medici in curationibus propter uarietatem circumstantiarum augent aut moderantur communem remedij formam probabilis ratione, ita legum latores propter uarietate circumstantiarum exasperant aut mitigant generales noticias. Est igitur ius posituum proprie determinatio quedam iuris naturalis ad certum modum propter aliquas circumstantias. Et hæc ipsa determinatio habet aliquam probabilem rationem, sicut de forti poena dictum est. Ingenia ferociora terribilioribus exemplis coercenda sunt &c.

Cum autem circumstantie uariant, quedam dissimilitudo est iuris positui in diuersis nationibus. Verum quia ius posituum determinatio est iuris naturalis, facile intelligi potest ius posituum tamen habere aliquam regulam, uidelicet ne pugnet cum iure naturali, & ad descriptionem iuris positui conuenit definitio legis apud Demosthenem, cum inquit: Legem esse Dei donum, id est, noticiam diuinitus impressam hominibus.

Deinde addit decretum sapientum & commune patrum ciuitatis, id est, noticiam explicatam & determinatam à sapientibus, & promulgatam auctoritate publica, cui omnes ciues pariter obedire debent.

Hic autem amplificanda & ornanda erat etiam legum & iuris dignitas. Sed hoc non fuit instituta breuitas

breuitas. Tantum illud meminerint studiosi, assuescendos esse animos, ut honorificētissime de legibus sentiant. Quia nō solum uincula sunt necessaria ad communem societatem, sed etiam pulcherrime temperant ipsam societatem, & gradus efficiunt omnium officiorum, religionum, magistratum, iudiciorum, connubij, educationis, disciplinæ, ut hac ipsa Harmonia societatis nihil sit melius, pulchrius & gratius. Quod si cœlestium motuum uices atq; ordinem miramur, ut decet, discamus etiam hunc pulcherrimum ordinem in societate intelligere, mirari & amare. Præterea sapiētia & iusticia sunt res diuinæ. Leges autem sunt illa ipsa sapiētia quæ gubernat iusticiam. Ideo tanquam res diuinæ amari debent.

EST NE IUS NATURALE
semper immutabile?

Quædam naturales notitiæ in homine semper manent eadem, sicut in oculis idem lumen manet. Sicut igitur principia aliarum artium perpetua & immutabilia sunt, ita ius naturale est immutabile. Nihil enim aliud est proprie ius naturale, nisi illæ notitiæ practice, seu principia de moribus. Quare recte inquit Aristoteles: Ius naturale immutabile esse, & eandem uim ubiq; habere, sicut Ignis hic & apud Persas urit.

Sed tamen gradus quidam sunt. Quædam enim sunt naturalia, quibus mutatis sequeretur natura corruptio. Et hæc proprie sunt immutabilia, & vere iudicanda sunt principia, quale illud est. Neminè lædas, qui nulli nocuit. Nam hoc principio mutato, sequeretur natura corruptio, cum pro libidine cui libet permitteretur impetum facere in aliorum intantum, liberos, fortunas.

Alia quædam sunt naturalia inferiore gradu, quibus mutatis non statim sequitur natura corruptio, aut insignis depravatio, ut natura magis utimur dextra quàm sinistra, & tamen fieri potest sine corruptione nature, ut aliquis melius utatur sinistra. Huiusmodi sunt & moralia quædam mutabilia, quæ etiamsi dicuntur esse iuris naturalis, tamen nõ sunt ex primo genere, nec sunt prima principia, sed habent potius probabiles quàm necessarias rationes. Ut usura dicuntur esse contra naturam, et tamen magistratus moderatas usuras concessit, paululum enim à natura discedit, nec affert hæc mutatio nature corruptionem. Contra naturam est $\pi\omicron\lambda\upsilon\alpha\mu\acute{\iota}\alpha$ $\mu\acute{\iota}\alpha$, sed tamen ex eo genere ubi mutatio non procul discedit à natura. Ideo Deus nature conditor approbavit $\pi\omicron\lambda\upsilon\alpha\mu\acute{\iota}\alpha\psi$ in populo Iudaico.

Contra naturam est ducere fratris uxorem, sed tamen id cõcessit Iudæis Deus nature conditor. Itaque diligenter

diligenter obseruandum est, quædam naturalia mutabilia esse, sed in ea re prudenter iudicandum est, nec concedenda mutatio sine probatis exemplis.

Porro in his quæ sunt mutabilia debet ualere auctoritas magistratum. Quare si quando in eiusmodi casibus dispensat magistratus, non est eius sententia improbanda.

Q V I D I N T E R E S T I N T E R
 summum ius & æquitatem, seu
 ἐπιείκεια?

Summum ius uocant, cum leges seuere sine mitigatione ullius circumstantiæ usurpatur, uulgo appellant strictum ius.

Ἐπιείκεια est mitigatio legis in aliqua circumstantia, nec enim approbat delicta, sed mitius interdum punit propter aliquam circumstantiam, ut cum iudex aliquem errore lapsum, qui uidetur esse præditus ingenio sanabili, mitius punit. Porro latissime patet Ἐπιείκεια in omni legum interpretatione. Nulla est enim lex quæ sine ἐπιείκεια in omnibus casibus pari seueritate obseruari possit. Ideo omnium legum interpres esse debet ἐπιείκεια, ut ubi opus est flectatur ad leniorem sententiã. Nec uero ratione caret ἐπιείκεια, sed ita discedit ab inferiore lege, ut superiorem

periores aliquã legem sequatur. Estq; tenenda regula. Quoties ita concurrunt diuersæ leges, ut non possint pariter seruari, præferenda est superior. Vt si quis apud te sanus gladium deposuerit, eumq; reponat furiosus, lex inferior iubet reddere depositum, at lex superior uetat reddere, ui licet Neminem lædas.

Item pacta sunt seruanda. At si pacta sine scelere non possunt seruari, equitas iubet pacta rescindere. Ita equitas regitur aliqua superiore lege. Christus contra legem attingit leprosos, uiolauit sabbatũ. Cum enim concurrerent diuersæ leges, ipse prætulit superiorem, & docuit præferendam esse. Nam superior lex est, ut ostendantur testimonia doctrinæ. Itẽ ut præferatur dilectio cæremonijs, iuxta illud: Magis uolo misericordiam quàm sacrificium. Ideo non dubitat attingere leprosos, item cur at in sabbato. Et his ipsis exemplis grauius interpretatur legem de sabbato, & ad unum certum genus operum accommodat, sumpta interpretatione ex fine legis. Nam cum propter ministerij conseruationem lex illa cõdita sit, tantum illa opera prohibita sunt, quæ abducunt à ministerio uerbi, uidelicet continue operæ, quæ lucri causa suscipiuntur, non ut subite necessitati proximi consulatur. Ideo lex diserte prohibet seruilis opera, id est, assiduas operas lucri, nõ officij

officij causa susceptas. Ergo non prohibet subita officia necessaria ad seruandos homines, multo minus prohibet testimonia uerbi & miracula que sunt opera Dei.

Satis exemplorum suppeditant omnium temporum iudicia. Manilius Torquatus summum ius exerceuit in filio, quem, quia contra Imperatoris edictū dimicasset, capitali supplicio affecit, quia disciplinā militarem uitiaſet. Econtra uſus est Περικλῆς Πατριus Dictator, qui cū Fabium, M. equitum, accusasset uiolatæ Maieſtatis, tamen deprecante populo pœnam ei remisit. In Digestis ad legem Pompeian de parricidijs, Imperator Adrianus eum qui filium occiderat, propterea quod nouercam adulterasset, tantum deportari iubet, cum summo iure priuatam cædem durius ulciſci potuerit. Sed adhibuit in consilio circumſtantiam, uidelicet iustum patris dolorem. Apud Gellium lib. 12. cap. 7. Areopagite liberant mulierem Smyrnæam que ueneno maritū & eius filium necauerat, qui tamen prius occiderant mulieris filium natum in priore coniugio. Areopagite tulerūt sententiam, ut centesimo anno post caussa iterum cognosceretur. Ita neq; probant atrox facinus, & tamen pœnam remiserunt propter iustum matris dolorem. Simili Περικλῆς finguntur uſſi Dij in absoluendo Marte & Oreste. Condonarunt enim

enim iusto dolori poenam, quia Mars filiae stuprum ultus erat, Orestes patris necem.

Hæc docti homines finxerunt, ut significarent Deo placere mitigationem, probabili causa factam. Sepe enim incidunt in ciuitatibus huiusmodi casus, qui habent aliquam excusationem, neque tamen satis magnam. In his sapientes uiri, ut diuinis exemplis monerent licitam esse mitigationem poenarum, hæc iudicia Deorum finxerunt. Sic interdum absolunt Iudices eos qui se uel aduersus uim defendunt, etiam si aliquantulum excedant modum inculpatae tutelae. Sicut et Milonem Cato sua sententia absoluit, quia Clodius pugnam inceperat, et si non statim interfectus est, sed postea in latebris quæ situs est. Sed quia alios Iudices habuit duriores, summo iure condemnatus est.

Hactenus de summo iure dixi, quod non ex calumniosa interpretatione oritur, sed uera legis sententia est, ut in casu Manlij aut Milonis, hoc ipsum ius tamen, ubi circumstantiæ poscunt mitigationem, nec exempli causa seueritate opus est, fit iniuria. Ideo uere dictum est: Summum ius, summam iniuriam esse.

Aliud quoddam genus est eludendi aut exacerbandi leges, uidelicet calumnia. Hæc non proprie uocatur summum ius, sed magis etiam cum iure pugnat. Interpretatur enim ius cauillatione aliqua philosophica

phistica simpliciter contra uoluntatē, id uocant fraudem legi facere, & ῥῆν ῥῶν ueteratorie contra sententiam detorquere, aut eludere. Vt qui pactus 30 dierum inducias, noctu populabatur hostium agros.

Item Legatus Romanus, qui pactus cum Antiocho, ut dimidia pars nauium ei relinqueretur, secuit omnes naues medias, ut spoliaret eum uniuersa classe. Athenis cum 30 Tyranni præessent, lex erat ne quis eorū, qui in catalogo scripti erant, indicta causa interficeretur. Erat in hoc numero scriptus Theramenes collega. Cum autem Critias constituisset eum interficere, iussit deleri eius nomen. Huius generis exempla infinita suppeditant non solum historie, sed etiam quotidiana uita. Vt in contractibus nūc ludunt, prætexunt manifestis usuris interesse, sed utinā in foro & in aulis tantum uersarentur calumnie, nō in templis etiam. At propemodum plus est calumniarum in doctrina religionis quā in alijs negotijs. Dicta callide detorquentur, & alia exagerrantur sine modo, & fūco quodam pingūtur. Alia abijciuntur & deformantur, & hæc quedam ingenij laus ducitur. Ita alij sine modo ordinationes ecclesiasticas ornant, alij sine modo uituperant, et interdum utriq; affingunt calumniosas interpretationes. Decet autem Christianos præcipue amor simplicis ueritatis, præterea dilectio et æquitas. Quare calumniosos

luminosa ille interpretationes precipue in negocijs religionis fugiendæ sunt. Et in omnibus legibus cogitandum illud Menandri, qui inquit: Leges optime sunt, sed qui nimis acute eas inspicunt, sunt Sycophantæ. Et si autem interest aliquid inter cæli-
nias & summum ius, tamen sepe uicina sunt, cum uidelicet summum ius non habet satis grauem rationem, sed tantum Sophisticam.

Primum igitur simplex ueritas amanda est, deinde et iusticia pub. et priuatim addenda est uis-
xæ, ubi probabilis & honesta ratio moderatione suadet. Humanissime præcipit muliercula quædam de ancillis nõ nimis indulgenter nec nimis acerbe re-
gendis. Scias imitanda tibi esse organa musica quæ nimum remissa dissonant, rumpuntur autem simi-
mum intendantur. Idem de ancillis accidit, nimia re-
missio dissonantiam & contumaciam in parendo af-
fert, nimis autem uehemens coactio naturam destruit.
Sed cogitandum est mediocritatem in omnibus opti-
mã esse. Ac maxime prodest in imperijs hæc modera-
tio, ut Athenas restituit Thrasibuli æquitas, qui cum uideret sine nouis motibus non posse ereptas pos-
siones restitui ueteribus dominis, legem tulit ut quod quisq; tenebat retineret, & hij qui iniuria af-
fecti erant pacis pub. causa de suo iure cederet. Hæc æquitas etiam in priuata uita magnopere necessa-
ria est

ria est ad concordiam retinendam. Multa condonanda sunt legibus, magistratibus, amicis, familiaribus. Immo diuinas leges etiam mitigat æquitas, nō quidē temere conficta, sed ipsa scriptura docet gradus esse legum. Dauid edebat sacros panes, norat enim *ἐπιεικὲς* in cæremonijs adhibendam esse, quia sciebat esse P olyticos mores institutos, non ut iustificarent coram Deo, sed ut populus disciplina illa coerceretur. Ideoq; iudicauit hos ritus cedere dilectioni in necessitate, ubi sine scandalo & disciplina periculo uiolari possent, iuxta sententiam: Magis uolo misericordiam quàm sacrificium.

Aptissimum exemplum est *ἐπιεικὲς* in historia Ezechie. Cū enim in celebratione paschatis multi non essent usitatis cæremonijs prius purgati, Ezechias eos non propterea abstinere iussit à paschate, sed pro eis precat ur omiſsis cæremonijs purgationem & meliorem cæremoniali. Iosue quāquam errore pacem promisit quibusdam quos debuit interficere, tamen noluit iusiurandum rescindere, norat enim scandalum uiolati iuriſiurandi pluris faciendum esse, quàm alterum mandatum de interficiendis hostibus. Et uoluntatem legis aliquomodo cōseruabat quia illi amplectebantur religionem, et redigebāt ur in seruitutē. Machabæi in sabbato pu-

gnarunt, cum hostes in eos impetum facerent. Sciebant enim lege sabbati prohiberi operas uoluntarias, non prohiberi necessariam defensionem ad conseruationem Reipub. religionis, coniugum, liberorum &c. Hoc autem summū est officium dilectionis. Ita sepe Christianis ἐπιεικής necessaria est in usu caeremoniarum. Paulus inquit, se apud Iudeos uiribus aliquando Iudaicis, apud gentes non seruare ritus Iudaicos, & tamen addit superiorem legem, qua hæc officia metiebatur, uidelicet ut omnes lucrifaceret. Superior enim lex est, dare operam ut ornatur Euangelij gloria. Postremo Euangelium ipsum est mirifica ἐπιεικής legis diuinæ, cum apud probat obedientiam, quanquam imperfectam propter Christum.

EST NE IUDICANDVM IUXTA
æquitatem, an iuxta ius scriptum?

Longa est in tertio Politicorum Aristotelis disputatio, an satius sit ex scripto iure res iudicare, an ex arbitrijs iudicum sine scripto. Et recte constituit primum, satius esse iudicare res ex scripto iure, quia incertæ opiniones facile pariunt discordias ciuium. Vbi autem non est scriptum ius, sunt incertæ opiniones uel contrariæ, quia sepe accidere potest ut alijs iudicibus aliud uideatur. Ergo
melius

melius est uti scripto iure. Item prodest scriptum ius, ut coerceat affectus iudicium. Addit igitur Aristoteles egregiam sententiam de scripti iuris dignitate: Qui legem iubet præesse, Deo & legibus imperium tribuit, qui autem hominem iubet præesse, præficit beluam. Nam cupiditas & iracundia depravant etiam optimos viros. Lex autem mens est sine cupiditatibus. Cum autem non sit opus in re manifesta multis argumentis, tantum admonendi sunt adolescentæ, ut oderint & execrentur $\pi\omicron\lambda\upsilon\alpha\iota\tau\epsilon\varsigma$ quorundam ineptorum hominum, qui ius scriptum stolidissime vituperant. Quamquam non solum stultitia, sed etiam tyrannis est, legibus authoritatem abrogare, & conferre in privata arbitria.

Sed hic altera questio oritur. Vtrum ubi est ius scriptum, an ex scripto, aut æquitate iudicandum sit, cum hic quoque discernantur æquitas & ius scriptum. Hic quoque respondeo, regulariter ex scripto iure pronuntiandum esse, præsertim in eo casu ad quem lex iure pertinet. Quorsum enim attinebat scribi, si iudicibus liceret discedere à scripto, & suo arbitrio fingere æquitatem? Deinde non licet iudici discedere à scripto, quia iudicis sententia habet authoritatem, non quia priuata cogitatio est, sed quia legis vox est. Nec uero imaginandum est æqui-

tatem cum iure scripto pugnare in ijs casibus de quibus principaliter lex loquitur. Nam illud ipsum scriptum legis lator grauiſſima deliberatione iudicauit equum eſſe.

Secundo, caſuum diſſimilitudo facit, ut interdum diſſentiat ius ſcriptum ceu rigor ab æquitate. Vbi igitur lex non principaliter loquitur de tali caſu, ibi iudex propter rationem probabilem, quæ & ipſa conſentanea eſt ſcriptis legibus, debet ſcriptum aliquo modo mitigare. Vt lex de furibus ſtrãgulandis, principaliter loquitur de ijs quos malitia & audacia hortantur ad furandum, non eſt principaliter lata de hoc caſu, ſi quis in magna neceſſitate cibos auferat, aut etate peccet. Cum autem hic caſus aliquo modo diſſimilis ſit illi generi, de quo principaliter lex loquitur, hic iam habet æquitas locum. Ita lex de homicidis interficiendis, lata eſt principaliter de cæde conſulto & petulanter facta. Patroclus caſu in ludo occidit ſodalem, hic diſſimilitudo caſus requirit aliquam mitigationem pœnæ. Conſtitutio de Sabbato principaliter prohibet operas quæ abducunt à publicis cæremonijs. Ergo ſi operæ fiant quæ non abducunt à cæremonijs, nec nocent exemplo, diſſimilis caſus eſt. Ideo æquitas iudicat tales operas non prohiberi, ſicut & Rabini ipſi adiderunt interpretationem, quid eſſet iter ſabbati, uidelicet

uidelicet bis mille passus. Traditiones Ecclesiasticae primū conditæ sunt principaliter ut res ordine gererentur, cum publice conuenit Ecclesia. Iudicabat æquitas sine culpa uiolari traditiones, ubi non dissi-
 sipabatur publicus ordo. Hæc distinctio ostendit ubi locum habeat æquitas, uidelicet in casu de quo non principaliter loquitur scriptum. Ideo Aristoteles inquit: Iudicium auctoritatem ad leges adhibendam esse qui eas moderentur, sicut medici pharmaca moderantur. Et quinto Ethicorum inquit. Leges constituere de eo quod plerumq; accidit, sed si qua circumstantia mutat casum, ibi iubet consuli æquitatem. Ideoq; legem inquit uelut Lesbiam, id est, plumbeam regulam esse, quæ moderanda et accommodanda sit ad casuum uarietatem. Quod igitur in Codice de iudicijs scribitur, placuit in omnibus rebus potiore[m] esse iusticiæ æquitatisq; , quàm stricti iuris rationem. Nequaquam sic accipi debet, quod liceat iudici à scripto discedere. Nam ijs in casibus de quibus lex principaliter loquitur, nequaquam discedendum est à scripto. Nam ipsum scriptum iudicauit legislator esse iustum et æquum. Idq; uocant scriptam æquitatem. In alijs autem casibus de quibus nō loquitur proprie lex, habet locum æquitas, quæ legem probabili ratione in aliqua circumstantia moderatur, ut in casu Milonis licuit Pompeio mode-

rari sententiam, cum constaret Milonem non fecisse principium pugnae, etsi non seruauit modum inculpatae tutelae.

Sed in illa lege quam citauimus (ut mihi uideatur) strictum ius non significat scriptum ius, sed diuiniorem interpretationem, id est, calumniosam iuris, ut in pacto de inducijs triginta dierum. Aut sicut Carthusiani regulam suam interpretantur, ne aegrotis quidem concedendum esse usum carniam, etiamsi de uita periclitentur. Tales interpretationes sunt legum fraudes. Dictum autem est supra quae sit calumniosa interpretatio.

Q V A N D O E X C U S A T
erratum ignorantia?

I Deo uoluntaria delicta puniuntur, quia cum causae sunt in potestate nostra, uitari ea delicta possunt. E contra de inuoluntarijs mitius iudicatur. Quia cum causae non fuerint omnino in potestate nostra, non poterant ea delicta uitari. Quare intuenda sunt causae delictorum. Sunt autem causae, iudicium et uoluntas. Error iudicij ignorantia est, ideo primum de ignorantia dicendum est.

Duplex autem ignorantia est, alia iuris, alia facti, sicut regula inquit: Ignorantia facti, non iuris excusat. Sed huic sententiae addenda est interpretatio, nam

tio, nam neq; semper excusat ignorantia facti, & discernenda est iuris ignorantia. Primum igitur sciendū est, in ciuilibus controuersijs neminem sanum, qui ea est etate, quæ iudicare potest, excusari ignorantia iuris naturalis. Ideo inquit Aristoteles. Excusabile esse, si quis erret in legibus, hoc est, in iure positiuo, uerum non esse excusabile, si quis in eo iure erret, quod ipse uocat primum, id est, in naturali iure. Ad eundem modum nec ignorantia iuris diuini excusat. Nam & lex moralis eadem est, quæ natura nobis indita est. Et Euangelium de Christo sparsum est in totum orbem terrarum, & mandatum omnibus, ut Christum audiant, iuxta illud: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Ideo Christus, et si discrimen aliquod inter scientes & ignorantes, proponit, tamen non omnino liberat ignorantes, cum inquit: Sciens uoluntatem Domini & non faciens, maiore poena afficietur. Ignorans autem, & tamen digna poenis faciens, minore poena afficietur, uulgo dicitur, sancta rusticitas. Hoc dicto nonnulli excusant inscitiam, quasi pietas sit nescire Euangelium. Sed Erasmus uere & grauiter reprehendit illud dictum, & inquit: Neminem posse Christianum esse, quin idem multa sciat. Est enim Euangelium excellens quædam sapientia, quam nemo sine magna cura, meditatione, collatione doctrinarum, &

communicatione cum doctis assequitur. Et Petrus iubet paratos esse ad redendam rationem.

Secundo. Nec iuris positiui humani, nec facti ignorantia affectata excusat. Est autem affectata ignorantia eius quod quisque cum de iure tum de facto scire tenetur. De hac ignorantia eleganter inquit Aristoteles, ὅτι γὰρ ἢ ἐν τῇ ἀπογοργεσίᾳ ἀγνοία, ἀτιμία τοῦ ἀκουσίου, ἀλλὰ τὰς μοχθηρίας, ὅτι δ' ἐν ἀκαθάρτου; id est ignorantia quam uolens aliquis accersit non excusat, sed est peruersitas, sic et uniuersalis ignorantia, hoc est cum prorsus nihil scimus eorum quae nobis agenda sunt. Et paulo post addit iudicem punire debere ipsam ignorantiam, si quis sibi causa sit ignorantiae.

Itaque non excusat iudicem ignorantia iuris, quod pro officio suo scire debet, nec excusat affectata ignorantia in facto proprio, ut si quis existens in possessione alicuius rei, nesciat utrum ea res apud seipsum deposita sit, an donata. Nec litigatorem excusat ignorantia iuris, ut Scaeuola dixit. Turpe est uiro nobili, et ad causas accedenti, ius in quo uersatur ignorare. Sed excipi solent ab hoc gradu, mulieres et milites quibus error iuris condonatur.

Tertio, est quaedam probabilis facti siue proprii
sue

siue alieni ignorantia quæ habent excusationem, sicut Iacob ignorantia soror sponsæ data est. Talis est etiam ignorantia, de qua Paulus loquitur, eius qui inscius uescitur εἰδὲ ὠλόβητοῖς. Errat enim excusabiliter, quia curiositas est interrogare ea quæ non pertinent ad officium nostrum.

Hoc discrimen probabilis et affectatæ ignorantie late patet, et sæpe in causis occurrit. Aristoteles rem eandem uerbis paulum mutatis dixit. Differunt inquit, quod peccat ignarus, et quod peccatur propter ignorantiam. Excusabile est ubi sola ignorantia errati causa est. At ubi nõ ignorantia, sed non frustra ignauia aut cupiditas errati causa est, ubi ignorantia non excusat, ut ebrij, peccant non propter ignorantiam, sed ignorantes. Et ignorantia causa est ebrietas quæ est ultro accersita. Ideo aristoteles inquit, ebrij peccatum dupliciter puniendum esse.

QVAE DICUNTUR

uoluntaria delicta?

Voluntaria sunt in quibus et consilium adhibetur, et libera uoluntas. Inuoluntaria sunt, cum uel consilium non adhibetur, uel uoluntas uel prohibetur, aut succumbit et peccat in re impossibili. Eadem autem intelligi debent inuoluntaria ac uiolenta, quæ ut Aristoteles inquit extrinsecus ha-

bent principium, ut si quis tempestate ad scopulum aliquem allidatur. Ideo cum amore, ira, odio, & similibus affectibus impellimur, actio non est iudicanda inuoluntaria ac uiolenta, & recte dicunt de metu, uoluntatem esse coactam uoluntatem. Quare ius iurandum metu extortum, seruandum est. Sed Aristoteles ea quæ metu coacti facimus, uocat mixta, medium scilicet quoddam genus constituens inter uoluntaria & inuoluntaria.

Quamquam igitur aliquid interest inter simpliciter uoluntaria & mixta illa, quam ob causam sapienter litigant Iureconsulti pacta metu facta, tamen reuera hoc genus mixtorum pertinet ad uoluntaria. Nam uoluntas potest cohibere affectus, & multis damnis propositis, uoluntas potest aliud alteri anteferre.

Vt autem uirtus uera tunc est, cum adhibentur iudicium & libera uoluntas, ita summus gradus est delictorum, cum & consulto et libera uoluntate peccatur. Reliqui gradus aliquando leuiores sunt, cum aut uoluntas impeditur, aut non adhibetur iudicium. Atque hinc oriuntur quinque gradus, quos in delictis atque iniurijs considerare iudicem oportet, dolus, lata culpa, leuis culpa, leuissima culpa, casus fortuitus. Dolus nullam habet excusationem. Lata culpa uicina est dolo, ut cum delinquitur affectata ignorantia.

hec

hæc enim non est inuoluntaria, sed est malitia, ut inquit Aristoteles: Leuis culpa & leuissima, magis habent excusationē. Hic enim non accedit uoluntas delinquendi. Et quamuis diligentia desideratur, tamen non est in eiusmodi erratis affectata negligentia. Casus fortuitus habet excusationem, quia neq; mens, neq; uoluntas uere peccat. Ut cum Adrastus aprum petēs interficit Cræsi filium. Aut si quis tegulam ex alto deijcit in locum in quo non solent uersari aut ambulare homines, illud autem obseruandum est, hos gradus oriri omnes aut ex iudicij errore, aut aliquo uoluntatis impedimento. Proprie autem uoluntaria uocanda sunt, in quibus concurrunt consilium & libera uoluntas.

Multæ quæstiones hic agitandæ sunt. An homini Christiano liceat uim ui repellere, et quatenus liceat. An rerum diuisiones sint licitæ Christianis. An liceat bella gerere. Sed hæc quæstiones aliàs à nobis explicatæ sunt, & regulam tradidimus utilem, & quam tenere maximè necesse est. Quod uidelicet Euangelium non aboleat œconomiam aut politiam, sed maxime approbet. Quare cōcessus est usus Christianis omnium rerum Politicarum, diuisionis rerum, iudiciorum, bellorum &c. Addeamus igitur alias quasdam quæstiones.

LICET

LICET NE PRIVATIS IN
terficere tyrannos ?

Respondeo, Primum si Tyrannus est homo priuatus, per seditionem inuadens imperium, nec potitus imperio, hi qui cum legitimis magistratibus sentiunt, priuatim interficere eum possunt sicut la tronem, praesertim in ipso facto deprehensum, hoc est molientem aliquid, concitantem populum, aut facientem impetum in aliquos. Ita Catilinam seditione mota interficere aliquis priuatus iure potuit. Sicut & Fuluius filium ex fugare tractum interfecit, & leges concedunt interficere patrem qui contra Rempublicam coniurauit.

Secundo, Si Tyrannus est in Magistratu, & atroci iniuria ac notoria subditos affecit, conceditur subditis, praesertim in continentia, defensio, cum in priuato periculo, tum in negotio pertinere ad Rem publicam: ut in Heluetiorum historia Magistratus iussit ciuem producere filium, & telum ad eum dirigi à iaculante patre. Et tribunus militum in exercitu C. Marij iure interfectus ab adolescente, cui Tribunus erat uim allaturus. Et iura in Patribus concedunt, Consulem in adulterio deprehensum interficere. Et in similibus casibus si qui sunt hostes recte excusantur, etiam si non in continentia ulciscuntur iniurias notorias. Sicut Harpagus

Cyrum

Cyrum accersiuit contra Astyagem qui ei filium edendum præbuerat. Et cum Tyrannus Vincentiæ ciui cuidam imperasset, ut ad se filiam mitteret, postquam id ciuis recusauit, Tyrannus mittit satellites, qui raptam per uim abducant, mane supra tam remittit & dissectam. Pater re cum amicis deliberata, cadauer ut erat dissectum mittit Senatui Veneto, eiq; pollicetur deditionem urbis. Ita tyrannus oppressus est. Huic ciui in notoria iniuria et tā atroci omnino licuit iure gentium fieri hostem tyranno.

Tertio, Si iniuria non est notoria, recte dicunt Iureconsulti Magistratum tollerandam esse iniusticiam, ut maneat rerum iudicaturum auctoritas. Non enim debent priuati dissoluere statum Rei publicæ, nec inuadere imperia, iuxta illud. Qui magistratui resistit, ordinationi Dei resistit. Quare C. Cæsar non est iure interfectus, qui ut non dicam de belli causa, tamen iam tenebat magistratum, & qui dem legibus & consensu populi datum, nec sustulit è Republica leges & iudicia, sed summa æquitate constitutis iudicijs tranquillitatem imperij muniit, nec cædes fecit in urbe, ut cæteri uictores bellorum ciuilium, nec notorijs & atrocibus iniurijs publice aut passim ciues affecit, imo hostes etiam reuocatos in pristinam dignitatē restituit. Quare iniustum fuit eum interfici. Nam ut ante dixi, magistratibus condonandæ

condonande sunt iniuriæ nō notoriæ. Sic Iason Phœ
reus inquit, eum qui in summa spectet ad iustitiam,
multa interim iniusta in leuioribus rebus admittere,
quæ condonanda sint, summam imperij tuenti, &
formam Reipublicæ iudicia ac leges conseruanti. Et
Euripides inquit in hanc sententiam: τὰς τῶν
νεοτῶν τῶν ἀμαρτιῶν φέρεται ἡγεμονία.

IURE NE SCOUTANTINVS
belli affini & college confederato Licinio intulit,
exercenti seuitiã in Christianos?

Sicut in alijs casibus debent Reges & Principes,
Contra pares, armis & legitimo bello defendere
subditos innocentes, ita debent etiam defendere sub
ditos pios, qui uocantur in periculum propter ue
ram doctrinam. Ideoq; propheta Esaias nuncupat
reges Ecclesiæ nutritios, quod debeant Ecclesiam
tegere aduersus iniurias. Et Paulus inquit: Potestas
est honori recte facienti. Cumq; potestas confertur
ad hanc defensionem piorum, & propagationem
Euangelij, summum facit officium suum, quod Deus
præcipue requirit, & sit cultus Dei. Et uidemus in
sacris historijs, hospites qui texerūt pios, magnis
præmijs à Deo ornatos esse, sicut ait Deus ad Abra
hã: Benedicentibus tibi benedicam etc. Et Laudatur
Abdias qui prophetas abdidit in speluncis, cū Regi-

na eos iussisset interfici. Quare ubi potestas aliqua in alijs causis iustis suscipere defensionem iure potest, licet idem in defensione piorum, qui doctrinae causa perclitantur. Debit autem Constantinus defendere subditos in ijs prouincijs, quas ipse tenebat. Debit etiam exules honestos tueri. Deinde licuit ei implorantes ab ipso auxilium ac defensionem prouintias Licinij iuuare, nec uiolata est foederis societas. Quia in omni foedere exceptus est casus iuste defensionis. Quia foederatio non possunt obligare contra ius naturae, aut ad inferendam ullis iniuriam, praecipue notoriam. Ideo Thebani recte fecerunt, cum contra Lacedaemonios socios defenderunt ac restituerunt exules Athenienses, notorijs iniurijs affectos à triginta Tyrannis, quos iuuabant Lacedaemonij. Ita et Constantinus recte fecit, cum defendit aduersus parē, eos qui ab ipso auxilium petiuerant, licet enim auxiliū ferre iniuste oppressis, praesertim si petant, tanquam socijs. Sicut iura docent, societates legitime constitui posse.

Omitto iam alia argumenta, quod altera pars imperij aliquo modo pertinebat ad Constantinum.

Hic consyderent studiosi quā multi loci communes incidant in hanc quaestionem, uidelicet.

De officio potestatis. De iure belli.

De iure foederum.

An religionis causaliceat arma capere principi
 Quatenus possint iudicari de religione. (bus
 Quatenus subditis concessa sit defensio.

De Officio potestatis & Iure belli non dubium est,
 quin potestas debeat defendere innocentes in causis
 iustis, seu ciuilibus, seu pertinentibus ad religionem.
 De foederibus etiam non est dubium, quin in foederibus
 omnibus exceptus sit casus iustae defensionis,
 praesertim contra notoriam iniuriam.

Nec illud est dubium, Christianos principes debere
 bella etiam cum religionis causa inferuntur a
 paribus depellere, sicut & liquet ex superioribus.

Deinde ius bellorum communiue considerandum
 est, si sunt hostes, si uetus latrocinium exercent, ubi
 locum habet, non solum defensio, sed etiam recuperatio,
 item poena. Sicut Christiani reges habent
 iustas causas belli gerendi contra Turcas, quia inuas-
 erunt nostras prouincias, & in lege Machometica
 profitentur se nobis esse hostes, & perpetuum bellum
 nobis denunciant.

Nam lex Machometica praecipit Turcis ut bella
 inferant alijs nationibus, etiam si nulla causa sit
 nisi propagandae sectae ipsorum:

Postremo etiam si haec causa non essent, tamen pij
 reges debent prohibere blasphemias, ne propagentur
 in suis regionibus.

VTRVM PRAESCRIPTIO

excuset conscientiam.

Respondeo, Excusat, quia cum lex magis sit domina rerum nostrarum, quam ulli priuati domini, & sit ordinatio diuina, sequitur eos ordinatione diuina & iuste dominos fieri, quibus lex attribuit res. Lex autem constituit acquiri dominia praescriptione, ne in infinitum sint incerta dominia & infinitae lites. Ergo res praescriptae bona conscientia tenentur praesertim si sit titulus bonus, & non sit contraria conscientia, uidelicet quae certo norit dominos. Nec obijciendum est quod dubitet conscientia, debet enim ad legum autoritatem respicere non ad priuatas causas, & intelligere legem esse rerum dominam. Si quis autem certo noscet dominos, etsi iudex non pronunciat contra praescriptionem, tamen est habendaratio conscientiae in eo casu, & transgendum cum domino, nihil enim debet fieri contra conscientiam. Hinc iudicari potest & alia quaestio, uidelicet quod redditus dati Ecclesijs ad certos abusus, ut ad missas pro mortuis & similia, non possint repeti. Primum, quia tenentur praescriptione, qua uiolata, quales direptiones, qualia bella futura essent? Est igitur uel maxime in hoc casu, uel tranquillitatis publicae causa retinenda uis praescriptionis. Secundo. Lex magis domina est rerum nostra

rum quam homines priuati, est autē constitutū legibus ff. de legatis, ut pecunia constituta ad spectacula, etiamsi mutetur mos, tamen non possit repeti, sed conuertenda sit in alios usus publicos. Ita Ecclesiarum bona collocata antea ad abusus, nunc transferri debent ad ueros usus, hoc est, ad alendos ministros Euangelij, ad alendos studiosos, quorum studia eo distincta sunt, ut seruiant Ecclesie, item ad inuanda studia utilia Ecclesie.

AN LEGES CIVILES, HOC
est edicta Magistratum ciuiliū,
uiolare sit peccatum
mortale?

Virtus ἀδίκη significat non tantum foris coercere manus, & externas actiones regere, sed etiam requirit in animo προαισιον, hoc est deliberationem ac rationem consilij. Deinde ἀδίκη id est animum assuefactum ut cohibeat impetus, & adhibeat moderationem quandam ad deliberandum. Hæ duæ res ad uirtutes uere requiruntur, & instituenta est adulescētia, ut utriusq; rei uim & naturam intelligat. Deliberatio hoc est, προαισιον causas & rationes omnium actionum querere & intelligere debet, quæ animum incitatum ceu freno retrahunt in uia, et monstrant quid sit agendum.

Sed ἡδονοϋ uocatur illa animi assuefactio, æquabilitas, moderatio & cunctatio, qua se cohibere potest, donec deliberata re cum quadam suauitate faciat id quod rectissimum sit.

Cum igitur necesse sit honestarum actionum causas intelligere, non satis est leges nosse, sed maxime opus est ad ἡδονοϋ uirtutem efficiendam nosce, quæ sit legum autoritas, quatenus necesse sit eis obtemperare. Hac doctrina confirmatus animus, & honorificentius sentiet de legibus, & intelliget quatenus sit obtemperandum. Pertinet igitur ad ἡδονοϋ uirtutem hæc dijudicatio de legum autoritate.

Primum igitur respondeo. Violare leges ciuiles, seu edicta magistratuum ciuiliū, est peccatum mortale, etiam extra casum scandali, quia Paulus clare dicit, necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, hoc est, non solum ciuilem poenam timeamus, sed etiam sciamus conscientiam fieri ream si non obtemperemus. Iam est bonæ mentis, considerare quantum sit hoc uinculum obedientiæ & publicæ tranquillitatis, quod etiam Deus requirit, ut legibus & magistratibus obtemperemus.

Et testatur se uindicem fore, si non obtemperemus. Et quidem punit Deus, cū in hac uita, tum post hanc uitam, sicut & quartum præceptum de poenis

in hac uita loquitur. Si uis esse longeuus super terram &c. Nam id preceptum de obedientia precipit, non solum ut parentibus, sed omnibus quibus parentes suam auctoritatem tribuunt, uidelicet magistratibus, obediendus. Ideo & alie multe sententiae in scripturis concionantur de poenis in hac uita luendis, ut Prouerb. 24. Time Deum & Regem, & cum seditiosis ne commiscearis, quia cito eorum ueniet interitus. Et Christus inquit, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Nam gladium accipere, significat accipere gladium non datum a legibus & magistratibus. id est, seditiosum esse, & non obedire presentibus magistratibus. Et non solum exempla in sacris literis proposita, sed etiam omnium temporum historiae testantur, diuinitus ad poenas retrahi in hac uita plerumque homicidas, fures, peruiros, iniustos iudices, seditiosos, tyrannos. Haec eo dico, ut scianus Deum hanc *παιδαγωγίαν* requirere, ut metu poenarum coerceantur homines.

Et hic metus alit reuerentiam erga leges, & *δύσκολον* quiddam efficit in animis, cum uelut freni iniicit, cupiditatibus, & ad obedientiam assuefacit. Nec dubium est, quin multi tristes casus sint poenae humanae barbaricae libertatis, quam sibi multi sumunt, nec uolunt auctoritate superiorum regi. Nam lex diuina non fallit, quae inquit. Honora patrem & matrem

matrem si uis esse longæuus super terram. Deinde maior etiam reuerentia existit in animis, cum credimus post hanc uitam, æternis pœnis uiolationem legum puniri, nisi resipiscamus. Debet autem hæc sententia de magistratum edictis prudenter intelligi, scilicet de his edictis quæ non iubent facere contra mandata Dei. Est & uidendum an sit petulantia in his qui non obediunt, an inciderint aliquæ causæ quæ habent aliquam excusationem. Nec mihi displicet discrimen quod apud Gersonem est, qui discernit leges, & dicit alias latas esse necessitatis causa, uidelicet quæ sunt necessariae communi paci, ut de furto, de cæde, de connubijs, de diuisione hereditatum, de tributis, de militia, de iudicijs, & similes. Alias esse dicit non tam necessitatis causa, quàm decoris cuiusdam latas, ut constitutum est ne mulier nubat priusquam eluxerit priorem uirum.

Placet mihi hoc discrimen, non solum quia ratio diuersam parit obligationem, sed magis quia uoluntas magistratus est perspicua, quæ in prioribus simpliciter requirit obedientiam. In alijs leuioribus non perinde requirit. Est autem uoluntas consideranda legislatoris, quatenus uelit obligare, sed tamen in his quoq; leuioribus debet abesse petulantia & contemptus imperij, nam exemplum est malum. Vtile est autem & ad disciplinam & ad tranquillitatem

Reipublica sic assuefacere animos, ut etiam in par-
uis rebus magnifaciant legum auctoritatem. Deinde
illud etiam sciamus, nos non nobis sed reipublicæ ui-
uere. Quare cauere debemus ne nostra exempla
proceant in commune. Idem Plato grauissime dixit in
quinto de legibus, hunc esse optimum & præstan-
tissimum ciuem, qui summam gloriam in ciuitate du-
cat esse, non triumphos, non ulla uictorias, sed uin-
cere alios diligentia parendi legibus.

*distinctione Pla-
tonis*

Sed hic quæritur, an idem iudicandum sit de Ec-
clesiasticis ceremonijs, quæ humana auctoritate in-
stituta sunt. Respondeo, de his tenendam esse regu-
lam, quod in casu scandali sit peccatum eas uiolare,
sed extra casum scandali possunt uiolari sine pecca-
to mortali. Neesse est enim retinere doctrinam, quod
huiusmodi ceremoniæ sint res indifferentes, & non
necessariæ ad iustitiam coram Deo, sicut indifferes
est uti toga uel pallio & c. Hæc regula Pauli, est uti-
lis & ad pacem publicam, & ad conscientiarum
tranquillitatem. Conseruat enim ceremonias, & iu-
bet uitare offensiones, publicos tumultus, & publi-
cam dissipationem rituum. Et rursus liberat consci-
entias multis superstitiosis opinionibus & horribili
carnificina: Nam si existiment bonæ mentes, etiam
extra casum scandali necessariam esse obseruatio-
nem talium rituum, dura seruius erit.

In tanta

In tanta rituum multitudine quoties impingent conscientia, sepe in ieiunijs, in recitandis precibus, in obseruatione feriarum, aut similibus rebus, multa incidunt praesertim occupatis, quare non possint hos ritus semper seruare. Ideo haec regula continet utilem ἐπιεικειαν, quae & publica prohibet scandala, & mores utiles tranquillitati conseruat, & priuatim conscientias periculo liberat.

Intellectus autem legum ac traditionum causis, bona ingenia magis eas amabunt. Quare prodest haec teneri, quod uidelicet haec ordinationes instituta sint ab ecclesia propter publicam εὐταξίαν. Et quod priuatim ecclesia non uelit iniicere laqueos conscientijs. Est autem maxime ἡβουον ἀναρε communitatem tranquillitatem & ordinem, quare boni hos mores, cum ad tranquillitatem & ordinem profint, maxime amabunt, praesertim cum liberati sint superstitiosis opinionibus, & intelligant sine periculo extra casum scandali hos ritus negligi posse.

Sed hic disputatur, an ordinationes Ecclesasticae & magistratuū ciuiles leges dissimiliter obligēt. Respon-
deo. Dissimilis est obligatio, & quanquā rationes queri possunt, tamē simplicissimū est, haec iudicare ex planis & claris sentētijs scripturae. Itaq; has pri-
mū recitabo, postea addā etiā rationes et interpreta-
tionē, ne quid absurdi sumatur ex nostra sententia.

De obedientia debita legibus civilibus, inquit Paulus: Necessè est obedire non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hoc mandatum obligat nos etiam extra casum scandali. Nam auctoritati diuinæ oportet obedire etiam extra casum scandali: Sed de cæremonijs Ecclesiasticis ait Paulus. Nemo uos arguat in cibo, potu, & parte diei festi: Item in Epistola ad Galatas capite quinto: In ea libertate qua uos liberauit Christus stete, & nolite iterum iugo seruitutis subijci. Et Christus inquit: Omne quod intrat in os non coinguinat hominem, & excusat Apostolos uiolantes traditiones.

Quia enim necessè est in Ecclesia extare hanc doctrinam, quod traditiones illæ de cibis & similes non sint cultus aut iustitiæ, sed res indifferentes. Ideo euangelium docet conscientias non esse onerandas opinione necessitatis. Et tamen cum hæc uita non possit carere ordinationibus & cæremonijs, fuit opus hæc *ἐπιεικῶς*, ut ita seruentur, ne obascuretur doctrina de ueris cultibus, & de beneficio CHRISTI. Item ne onerarentur conscientie infinita carnificina, quæ fidem excuteret. Ideo uult Euangelium ut, intelligamus, hos ritus extra casum scandali posse omitti. sed propter *ὡς τὰς ψυχὰς* & ad uitanda scandala obseruandos esse. Hæc liber

tas cum constituta sit autoritate Euangelij, non potest humana autoritate tolli.

Ostendi ex testimonijs scripturæ dissimilem esse obligationem. Hæc est simplicissima responsio ad hanc quæstionem, sed addamus etiam rationem.

Prima sumitur à causis efficientibus, seu iure potestatis, & hanc Gerson sequitur. Civilis Magistratus autoritate diuina ius habet condendi leges honestas & utiles de ijs negotijs, quæ ad defensionem uitæ corporalis & societatem ciuilem pertinent, ut de iudicijs, de pœnis delictorum, de contractibus, de successionibus, & similibus rebus, sicut Salomon inquit: Per me reges regnant & iusta constituunt.

Sed Ecclesiastica potestas est circumscripta, sicut ut habeat mandatum quid docere debeat, & ne nouos cultus excogitet, & traditionibus de ceremonijs oneret conscientias. Nam Petrus inquit: Quid tentatis Deum imponentes iugum &c. Et Paulus: Quare decreta facitis? Non attingas, non contrectes &c. Proinde cum dissimile sit ius utriusque potestatis, etiam dissimiliter obligant leges.

Secunda ratio. Ex causis finalibus legum. Leges ciuiles sunt uincula communis societatis. Quare in uiolatione semper læditur charitas. Quia enim singuli debent ad cõmunis tranquillitatis defensionem uelut symbolam conferre suã obedientiam, tributa,

operas, cum id non faciunt defraudant reliquos, fruuntur enim alienis officijs, & ipsi nihil conferunt. Ut is qui in symposio non confert solum defraudat conuiuas.

Item nocet exemplum in uiolatione, & perturbat communem tranquillitatem. Ergo in legibus ciuilibus semper ualet ratio charitatis & scandali. Sed plerumque caeremoniae sunt priuatae & domesticae obseruationes, quarum uiolatio non laedit alios. Cum igitur hic non periclitetur charitas, nec incurrant scandala, dissimilis est harum legum autoritas. Nam de his quoque diximus, tunc necessarias fieri, nec posse uiolari sine peccato, cum uiolatio parit scandala, hoc est, nocet aliorum fidei & moribus, aut temere perturbat aliorum tranquillitatem. Et si autem utile est has rationes expendere, & causas & gradus legum intelligere, tamen tutius est ex illis scripturae sententijs quas recitauimus simpliciter iudicare, quas supra posui. Nam rationes habent multas ambages, nec satis muniunt conscientiam. Et homines acuti multa in utraque parte inexplicabilia querere & excogitare possunt, si tantum ex rationibus, & non ex scripturis, iudicandum erit. Sed hic monendi sunt iuuenes, ut quanquam tenere necesse est haec aduersus epocam non esse cultus Dei, tamen intirum discant scandali casum late patere, & singula
ri cura

in cura cauendum esse. Nam in uiolatione traditionum due res periclitantur, disciplina & tranquillitas, seu harmonia publici status. Porro utriusque rei magnitudinem & uim precipue nos intelligere decet, qui in studijs doctrine & uirtutum uersamur.

Primum enim discipline causa opus est certis ordinationibus. Nam rudis etas assuefacienda est ceremonijs & ritibus, ferijs, certis lectionibus, & exercitijs domesticis & publicis. Eamque ob causam Paulus uocat legem pedagogum. Nam hae ceremoniae sunt quaedam $\tau\alpha\iota\delta\epsilon\gamma\omega\gamma\iota\alpha$ necessaria prima etati.

Etsi autem Euangelium quandam sublimiorem doctrinam adferat, tamen non uult aboleri disciplinam & $\tau\alpha\iota\delta\epsilon\gamma\omega\gamma\iota\alpha$, sed iubet ut homines coerceantur, regantur, & doceantur huiusmodi pedagogia, Et quas utilitates habeat haec pedagogia alio loco dixi. Deus enim efficax est in his qui doceri se sinunt, nec repugnant ipsius uerbo. Quare exemplum nocet in uiolatione traditionum. Quia uulgus, quod natura odit legum uincula, libenter haec exempla imitatur, & inde assumit contemptum uniuersae discipline, & omnium legum. Abolitis autem ritibus non potest existere $\tau\alpha\iota\delta\epsilon\gamma\omega\gamma\iota\alpha$ nec rudis etas, nec indocta multitudo doceri potest.

Necesse est autem sequi infinitam barbariam, & infi

et infinitam uastitatem, ubi iuuentus et uulgus non possunt insitui. Quantum uero scelus est, quantum parricidium, exempla praeberet ex quibus illa uastitas oriri possit? Iam quantum mali est in altera scandali parte, uidelicet quod tranquillitas Ecclesiae et Rerum publicarum turbatur.

Est enim in hac corporali uita etiam ordinis causa, seu propter *εὐταξίαν*, quae maxime conueniens est homini, opus ceremoniarum. Hoc ordine dissipato infinita confusio sequitur. Nulla est auctoritas docentium, nulla certa tempora docendi, nulli certi doctores, nulla certa forma doctrinae. In tali confusione, nec ministerium Euangelij conseruari nec Ecclesia doceri potest.

Denique ut ordo et Harmonia publicorum rituum conciliat et consociat homines, ita confusio ordinis distrabit animos, et parit ingentes tumultus et aeterna bella.

Cogitemus igitur in uiolatione traditionum, pleurumque et facile exemplum manare ad alios. Cogitemus deinde quantum in exemplo mali sit. Quare ne conscientias nostras oneremus periculis, ne alijs noceamus, maiore cura etiam qualescunque ritus publicos obseruemus. Tyrannicum est magis quid nos delectet, quam quid alijs prosit, spectare. Non enim nascimur nobis ipsis, sed uita nostra ad alios pertinet.

os p
glor
tine
qua
In h
um B
tem
dam
num
bet,
et c
debe
tran
ditio
hoc e
cultu
tion
prop
re no
lium
mina
detr
tion
est d
bonu
est o

os pertinet ac præcipue ad Ecclesiam, hoc est, ad
 gloriam Christi, ad conseruationem ministerij, & re
 tinendam $\pi\alpha\iota\delta\alpha\gamma\omega\gamma\iota\alpha\upsilon$ populi. Has duas res
 quæ sunt maximæ, Ecclesia præcipue tueri cupit.
 In his nostram obedientiam, diligentiam & studi
 um Ecclesiæ præstemus, propter communem salu
 tem & tranquillitatem. Plato inquit, magis aman
 dam esse patriam quàm matrem, quia patria sit diui
 num quiddam. At uera patria nobis Ecclesia esse de
 bet, & hæc uere diuina est. Est enim templum Dei
 & coetus membrorum Christi. Quare hanc amare
 debemus, & ei libenter obedire, eius utilitati &
 tranquillitati plurima condonare. Paulus uocat tra
 ditiones egena elementa, quæ etiam si sunt egena,
 hoc est res exiguæ, perituræ, non æternæ, non sunt
 cultus, nõ iustitia, tamẽ sunt elementa, hoc est, ordina
 tiones, quibus hæc corporalis uita non potest carere
 propter disciplinam & propter $\epsilon\upsilon\tau\alpha\chi\iota\alpha\upsilon$. Qua
 re non sunt ordinationes illæ dissipandæ, sed confi
 lium Pauli consyderandum est, qui quanquàm no
 minat egena, tamen uocat etiam elementa, atque ita
 detrahit laudem iustitiæ, ut ostendat interim ordina
 tiones esse quæ suam habent utilitatem. Magna uis
 est disciplinæ, nulla dulcior Harmonia, quàm ordo
 bonus in Repub. Ideo hæc uocantur elementa, hoc
 est ordinationes quæ illam Harmoniam retinent.

RECTE

RECTE NE BONIFACIUS VIII
constituit, quod iure diuino Papa habeat utrum
que gladium, hoc est, et summam potestatem Eccle-
siasticam, & summam potestatem, seu manda-
tum, seu ius conferendi Regna, &
Imperia mundi?

VTilis est questio de discrimine Ecclesiasticæ
potestatis & civilium magistratum. Aliiter
enim in moderatis ingenijs reuerētia erga utraq;
potestatem, cum officijs recte descriptis & distin-
ctis monstratur, quanta sit in utraq; dignitas. Est
autem hæc reuerētia imprimis digna bona viro, &
uirius proprie adiecta. Prodest etiam in multis nego-
tius intelligere, quod sit proprium cuiusq; potestatis
officium, est enim tyrannis confundere officia, sed
suam quisq; Spartam ornare debet. Et quia varie
sunt de hoc discrimine disputationes, diligens expli-
catio multum habet eruditionis & bonæ frugis.

Primum igitur sciendum est, utraq; potestatem
Ecclesiasticam & civilem, donum & ordinationē
Dei esse. Ideo honorifice de utraq; sentiendū est, &
gratiæ Deo agende sunt pro tātis beneficijs. Et qui-
dem potestas Ecclesiastica claro & expresso man-
dato ordinata & constituta est, cum Christus misit
Apostolos in totum orbem, *Mathei ultimo: Euntes*
docete

docete omnes gētes. Et cum semper fuerit Ecclesia à principio mundi, data promissione Deus semper constituit claro uerbo potestatem Ecclesiasticam. Ut cum Abrahamæ promissionem & cæremoniam tradidit, & iussit eum hæc posteris suis commendare.

De civili potestate affirmat Paulus clarissime, quod sit ordinatio, quam Deus uere constituit & conseruat, sicut & Daniel inquit: Deus transfert & constituit regna. Cumq; imperia sint opus Dei & bonæ creaturæ Dei, constat administrationem approbatam esse à Deo, & placere Deo. Sed illud hic quæritur, An potestas civilis initio instituta sit expresso uerbo Dei, an uero tantum postea approbata. Ego quidem sentio institutam esse expresso uerbo Dei, cum ad Noe dictum est: Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, & additur, per hominem. Quare significat constituendum esse ordinem, ut per certos Magistratus puniantur homicide.

Et hæc lex præcipua est, & reliquam totam politiam complectitur. Sed si cui in hoc loco aliud uideatur, tamen concedet Deum uere esse autorem imperiorum, & quia rationi naturali monstrauit legem de ordine Politico, & impulit Heroicas mentes ad constituenda imperia, sicut Psalmista inquit: Quidam salutem Regibus. Et in lege claris testimonijs approbat

approbat ordinationes pœnarum. Vt Leuitici uigesimo quarto. Et de lege minus fuit opus expresso mandato, quia est rationi nota. Sed Ecclesiastica potestate omnino fuit opus expresso mandato, quia Euidgelium non est naturaliter notum rationi humane. Quamquam, ut paulo ante dixi, mihi uerius uidetur institutam esse potestatem ciuilem expressis uerbis in eo loco ubi sunt uerba dicta ad Noe. Quare potestas Politica, seu imperia, inde usq; ab initio mundi etiam apud Ethnicos sunt ordinationes diuinae.

Dixi de origine utriusque potestatis, nunc addam discrimina.

Potestas ciuilis est ordinatio, in qua superiores, uidelicet Magistratus, habent mandatũ, honestos mores in externa uita consuetudine præcipiendi, & coercendi homines, ac puniendi ui corporali, ut prohibeat iniustam uiolentiam, & puniat delicta, ac defendat publicam pacem. Prudenter autem considerandum est, quod hæc definitio tribuit Magistratibus non solum defensionem pacis, sed etiam mandatum discipline conseruandæ, seu conseruandi honestos mores. Nam finis pacis esse debet, ut sit otium, non ad perfruendas uoluptates, sed ad educationem & institutionem sobolis, ad docendam religionẽ, ad mores hominũ formandos, sicut Paulus grauissime docet cum iubet orare pro potestatibus, ut tranquillam

uitam agere in pietate & honestate, id est, finis
administrationum, non tantum debet esse pax,
sed ut in pace conseruentur disciplina, honesti
mores, & religio. Itaq; ut officium ciuiliis magi-
stratus recte intelligamus, cogitemus Magistra-
tus esse defensores legis, sicut confert Cicero Ma-
gistratum & legem, cum ait: Magistratum esse ui-
uam legem. Et Aristoteles, ἀρχῶν φύλαξ
τῶν νόμων. Non igitur tantum unius atque alte-
rius præcepti, custos est Magistratus, sed totius le-
gis, id est, utriusq; tabulæ, quod attinet ad exter-
nam disciplinam.

Primum autem hic circumscribenda est potestas
Magistratum, quod scilicet non habeant authorita-
tem præcipiendi aliquid contra ius naturæ, contra
mandata Dei, contra leges sui Regni. Quare nõ est
infinite potestas Magistratum, sed inclusa certis
limitibus. Nam Magistratus susinet procuratio-
nem ab alio, scilicet à Deo mandatam. Nõ igitur de-
bet à mandatis Dei discedere. Sicut & optimus rex
Iosaphat concionatur: Non hominis exercetis iudi-
cium, sed Dei, quicquid iudicabitis in uos redunda-
bit, sit timor Dei uobiscum. Infra autẽ, in alijs qua-
estionibus latius dicemus, quomodo sit circumscrip-
ta potestas legibus naturalibus, diuinis & posituiuis.

H Secundo

Secundo cum magistratus civilis sit custos etiam primæ tabulæ, quod ad externam disciplinam attinet, debet Magistratus prohibere & punire blasphemias, idolatriam, & falsa dogmata, & curare ut vera & pia doctrina propagetur, & defendere recta docentes. Hanc sententiam primum confirmat, præceptum decalogi secundum. Omnes Magistratus debent & ipsi obtemperare secundo præcepto Decalogi, & eius custodes esse. Secundum præceptum prohibet & punit blasphemias & falsadogmata. Ergo omnes Magistratus debent prohibere & punire blasphemias. Secunda ratio sumpta est ex præcipuo fine Magistratum. Finis societatis humane præcipuus est, ut homines alij alios de Deo docere possint, ut notitia Dei propagetur. Magistratus est præcipuus custos societatis. Ergo debet etiam custos esse istius finis, scilicet ut notitia Dei recte propagetur. Consequentia ualet ex regula, Propter quod unumquodq; tale, & illud magis tale. Magistratus custodit societatem propter notitiam Dei, Ergo magis debet custodire noticiam Dei, quantum ad suum officium pertinet. Hæc ratio plena est eruditionis, monet enim de duabus rebus maxime dignis consideratione, uidelicet quæ sit causa præcipua, quare ad societatem conditi sint homines. Item magistratum debere intentum esse in illum finem præcipuum

præcipuum, ut notitiam Dei conseruet in terris. Quod si ad hanc imaginem conseramus reges & principes, inueniemus paucissimos qui hunc finem prospexerint, & ad eum contenderint.

Plurimi summa vi contrariū fecerunt, qui omni scelere contaminauerunt, & delere conati sunt religionem, quasi ad hoc ipsum essent consecuti regna, ut bella cum Deo gererent, sicut in fabulis Gygantes.

Tertiaratio sumpta est ab exemplis. Sancti reges Iuda, aboleuerunt impios cultus, ac propterea laudantur, & ornantur magnis præmijs, & Deus inquit: glorificantes me glorificabo. Et lex in Deuterono. præcipit, ut reges teneant in manu librum legis, & conseruent religionem à Deo traditam.

Hæc exempla, quia pertinent ad Decalogum, etiam nostri Magistratus pro sua uocatione imitari debent. Item Nabuchodonosor & Darius proponunt edicta, ne quis dicat blasphemiam aduersus Deum Iſrahelitarum. Sed hic nonnulli multa obijciunt. Primum. Fides est in mente, Magistratus non potest mentes mutare, Ergo Magistratus non debet errores mentis punire. Respondeo ad conclusionem. Non punit errores solius mentis, sed externam professionem & blasphemiam. Quia Magistratus debet externam disciplinam & παιδαγωγία

γίαυ tueri, non debet permittere ut imperitis pro
ponantur scādala, quibus decepti ruant in errores.

Secundo obijcitur, Magistratus non potest iudi
care nisi de ijs rebus, de quibus habet leges, Magi
stratus habet tantum leges de negotijs prophanis,
Ergo nō potest iudicare de controuersijs religionis.

Primum neganda est minor, Nam Magistratus
habet legem, ut puniat blasphemias, sicut omnium
gentium leges puniunt periuria. Sed quia non sem
per constat quæ opiniones sint blasphemæ seu im
piæ, ideo debet præcedere aliud iudicium, uidelicet
cognitio de doctrina. Hæc autem pertinet non ad so
lum Magistratum, sed ad ecclesiam, hoc est, nō tan
tum ad presbyteros, sed etiam ad laicos idoneos ad
iudicandum, sicut Paulus inquit: Si fuerit sedenti re
uelatum, taceat prior, & Christus uult summum es
se iudicium Ecclesiæ, cum ait: dic Ecclesiæ. Huc per
tinet constantini exemplum, qui cum synodum hæ
beret, interfuit ipse disputationi, & postea senten
tiæ subscripsit, & in publicis literis inquit, se pari
ter fuisse ministrum, donec examinaretur tota con
trouersia, & Martianus imperator, qui habuit sy
nodum Calcedonensem, ait se exemplo Constantini
affuturum in synodo, ut patefacta ueritate, curet de
inceps populo unam certam sententiam proponi,
& prohibeat prauas opiniones.

Et Nico

Et Nicolaus Papa inquit Distinct. 96. Fidei causas
cōmunes esse, & non tantum ad clericos, sed etiam
ad laicos pertinere.

Et Alexander secūdus adhibuit magistratus pro
uinciales ad deliberationem, in synodo de gradibus
cognitionum. Postremo historiæ commemorant ple
rosq; Principes & Reges interfuisse synodis. Nec
uero quisquam negat, principes adhibendos esse ad
deliberationem in synodis. Sed illud uocant in quæ
stionem aliqui, an Reges etiam habeant suffragatio
nem, seu ut ipsi loquūtur, uocem decisiuam. Sed non
debet eis adimi suffragatio, siquidem synodi sunt iu
dicia Ecclesiæ, ut supra dictum est. Sunt enim & ip
si membra Ecclesiæ, & cum errant Episcopi, laici
habent mandatum, ut ab eis dissentiant, iuxta illud:
Cauete à pseudoprophetis, Item si quis aliud Euan
gelium tradet, anathema sit. Hoc mandatum pari
ter ad omnes pertinet, ut pro suo loco, de doctrina
ex uerbo Dei iudicent. Et Petrus iubet omnes para
tos esse ad reddendam rationem fidei suæ &c. Qua
re Reges debēt interponere autoritatem suam, ubi
periculum est, secus pronūtiaturos esse Episcopos.
Et Augustinus scribit epist. 166. Constantinum prin
cipio bis commississe causam Cecilianī Episcopis,
postea ipsum audiuisse, ac pronuntiasse, & multis
uerbis disputat, ad pios principes hæc iudicia do=

trina etiam pertinere. Neq; enim in Ecclesia hæc
 tyrannis constituenda est, quod oporteat laicos as-
 sentiri, & applaudere omnibus sine delectu, quæ de-
 creuerint Episcopi. Nec debet esse *Δημοκρατία*,
 qua promiscue concedatur omnibus licentia uoci-
 ferandi & mouendi dogmata, sed *ἀριστοκρατία*
 sit, in qua ordine hi qui præsumunt, Episcopi & Re-
 ges, communicent consilia, & eligant homines ad
 iudicandum idoneos. Ex his satis intelligi po-
 test, cognitionem de doctrina pertinere ad Eccle-
 siam, id est, ad presbyteros & principes, sed prin-
 cipes re cognita, & iudicata, iam custodes esse ex-
 terna discipline, & executores sententiæ synodi,
 ut uidelicet Idolatricos cultus, blasphemias, &
 impia dogmata prohibeant, & professores pu-
 niant.

Aliud argumentum. Magistratus tantum est
 defensor corporum, Dogmata non pertinent ad
 corpus, Ergo dogmatum prohibitio non pertinet
 ad Magistratum. Responsio. Neganda est maior.
 & ratio est. Quanquam enim conseruatio corpo-
 ris pertinet etiam ad officium Magistratum, quia
 est pars legis, tamen non est finis principalis Ma-
 gistratum, sed conseruatio legis, quod ad exter-
 nam disciplinam attinet, est principalis finis Ma-
 gistratum. Nam Magistratus est uelut ipsa lex,

Porro

Porro lex non tantum præcipit de defensione corporis, aut rerum, sed præcipit primum de gloria Dei, & disciplina. Sicut inquit Paulus: Lex est posita, ut coerceat iniustos, blasphemos. Denique error illorum, qui nolunt à Magistratu curari dogmata, omnino ex illo fonte natus est, quod fingitur Magistratus uelut Epicureus tantum habere mandatum defendendi corporis. Sed quod ea imago sit falsa, facile iudicari potest, si quis Magistratum & legem pares esse cogitet, & Magistratus finem esse principalem, conseruationem legis &c.

Debet igitur Magistratus, qui gladium gerit, prohibere etiam hæreses, hoc est, impia dogmata, & punire hæreticos, hoc est, impiorum dogmatum autores. Sed in rebus obscuris præcedat Ecclesiæ cognitio. Atq; ita proprie Magistratus seruit gloriæ Dei & sit eius functio cultus Dei, cum studet tueri, propagare, & ornare ueram doctrinam, & è contra præhibere impia dogmata. Quia ita facit principale officium, quod proprie ad gloriam Dei pertinet, & quod proprie meretur illum titulum, quo ornantur Magistratus, in Psalmo. Ego dixi Dijs estis, scilicet, quia & officium habent diuinitus constitutum, & impertiri hominibus debent res di-

uinas, religionem, iustitiam, disciplinam, pacem etc.
 Et ob hanc causam uocantur ab Esaia nutritij Ec-
 clesie, quia nutrire & tueri debent pios doctores,
 & non debent seuitiam exercere in Christianos.

Sunt alie que stiones de potestate ciuili, quarum
 aliquas deinceps tractabimus, scilicet de legibus,
 quod leges contrarie diuinis, aut naturalibus non
 sint obseruande. Item, quod Magistratus non liceat
 pronuntiare contra leges sue Reip. sed de his que
 stionibus paulo post dicemus. Nunc redeo ad pote-
 statem Ecclesiasticam, que est mandatum diuina, do-
 cendi Euangelij, administrandi sacramenta, ordi-
 nandi ministros Euangelij, annuntiandi remissionem
 peccatorum singulis aut multis, constituendi iudicia
 dogmatum, et eos qui in delictis manifestis uersan-
 tur, excommunicandi uerbo, sine ui corporali. Mul-
 te sunt partes huius definitionis, que alibi latius ex-
 plicari solent. Hic igitur breuiter respondeo de Bo-
 nifacij constitutione, quod iure diuino non habent
 Apostoli, aut eorum successores gladium, hoc est,
 ius coercendi ui corporali. Quare neq; ius habent
 occupandi, neq; conferendi Regna mundi.

Multa possunt ex Euangelio testimonia colligi,
 CHRISTVS inquit: Regnum meum non est de
 hoc mundo. Item, Reges gentium dominantur eis,
 nos autem non sic. Discernit enim duas potestates,
 Regibus

Regibus concedit ut dominantur, Apostolis non concedit ut dominantur, hoc est, ut ui corporali utantur prætextu ministerij. Et Paulus inquit: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia. Sed ad dam unam Chrysostomi sententiam, qui in secunda oratione de dignitate sacerdotum, clare discernit Magistratus prophanos & Episcopos, & Magistratibus prophanis tribuit ius coercendi ui corporali. Episcopos autem negat habere potestatem coercendi ui corporali. Cæterum, ut alijs Christianis, ita & Episcopis, seu pastoribus Ecclesiarum, licet tenere proprium, diuitias, & alias donationes, quia hæ sunt res politicæ concessæ Christianis. Ita, licet Episcopis tenere donatam Iurisdictionem in bonis certis, quæ est res ciuilibis, nihil pertinens ad proprium Episcopi officium, sicut ars texendi in Paulo nihil pertinebat ad munus Apostoli. Et tamen Paulus poterat esse & Apostolus & textor. Sed uiderint Episcopi, ne propter opes abducantur ab officio docendæ & gubernandæ Ecclesiæ, & inspiciendæ doctrinæ illorum, quibus præ sunt.

Imperator mandauerat Ambrosio, ut cederet templum Arrianis, sed Ambrosius non obtemperat. Non enim licuit obsequi impia mandanti, & Imperator neq; legitimam ordinationem ex Ecclesia tollere debuit, neq; impiū doctorem præficere Ecclesiæ.

Erat enim Ambrosius legitime ordinatus, & recte docebat. Continet autem legitima ordinatio uocatio nem seu electionem, quæ fit à populo, uel ijs quibus populus eam rem committit, & approbationem aliorum Episcoporum.

Præterea ad Episcopos pertinet constituere iudicia de doctrina & conuocare synodos, sicut uetus constitutio fuit, ut singuli Episcopi bis haberent synodos suarum Ecclesiarum quotannis. Et apostolici synodum habuerunt, et cum Paulus Samosathenus fereret impium dogma, conuenerunt Antiochiani uicini Episcopi, & adhibita Ecclesia Antiochena, damnauerunt Episcopum. Sed, ut supra dictum est, in controuersijs de doctrina non debent soli Episcopi iudicare, sed eligendi sunt homines idonei ex toto corpore Ecclesie, quia summum iudicium debet esse Ecclesie, hoc est, non tantum Episcoporum. Ita que propter hanc ipsam causam, quia maior est auctoritas Ecclesie, cum Episcopi non faciunt suum officium, debent imperatores & reges conuocare synodos, sicut & Constantinus indixit aliquas synodos, & quidem mandat ut ijs qui nolint uenire in synodum adimantur Episcopatus.

Dixi de discrimine utriusque potestatis, prodest enim & doctoribus Ecclesiarum retinere eos, ne usurpent officia potestatis gladij. Et rursus præphati
Magistratus

Magistratus discant uereri Ecclesiasticam potestatem, nec inuadāt in officia potestatis Ecclesiasticæ. sicut Petrus prohibet ne simus ἄλλοθ̄ιοι ἐπίσκοποι, id est, ne irruamus in aliena officia. Quare Imper. Valentinianus cū magna pietate inquit: Talem esse Episcopum eligendum cui ipse Imperator submittere caput non reuereatur. Et quidem in electione non eripit ius Ecclesiæ, sed iubet ut ipsi eligant &c. Et quamquam distinximus potestates, tamen animaduerti potest, quod potestas ciuilis seruire debeat Ecclesiæ propter disciplinam, sicut quilibet pater familias minister & executor est Ecclesiæ in sua familia. Omnes enim debemus obedire ministerio uerbi, sic Magistratus in Republica minister & executor est Ecclesiæ. Debet enim & ipse obedire ministerio uerbi, & id uenerari tanquam diuinum, iuxta illud: *Aperite portas principes uestras.*

RECTE NE FECIT NA

both, quod non cecidit uineam Regi petenti,
cum Reges dicantur etiam domi
ni priuatarum facultatum?

Respondeo, Naboth iure potuit retinere suam uineam, nec licuit Regi cogere ciuem, ut eam uenderet.

uenderet. Ratio est, Iura naturæ seu gentium, non sunt uiolanda.

Distinctio dominiorum seu proprietatis est iuris gentium, uel ut Philosophi loquuntur, iuris naturæ, Ergo conturbare distinctionem dominiorum, & aliena rapere sine causa iusta, est iniustum. Ita mutant proprietatem & ius naturæ & lex diuina, cum inquit: Non furti facies. Nam decalogus, ut saepe dictum est, est explicatio iuris naturalis, que ostendit ius naturæ esse diuinam sententiam. Quare peccant Tyranni aduersus Deum, cum ciuibus eripiunt ipsorum fortunas.

Ceterum cum liberi amittunt iure libertatem, & ueniunt in seruitutem, amittunt dominia & proprietatem. Nemo autem est natura seruus, ideo cum Naboth liber esset, & dominus suarum rerum, habuit ius sui fundi retinendi.

Sed hic obijcitur sententia de iure Regis in Samuele,

Hoc est ius Regis, agros uestros tollet &c.
Ergo reges sunt domini priuatarum facultatum.

Respondeo, Hic locus non tollit ius naturæ, sed proprie loquitur de stipendijs.

Sicut libere natis Reges non debent eripere facultates, ita multo minus debent eis libertatem eripere, nisi cum puniunt certa delicta.

Et quam

Et quanquam subditi debent Regibus stipendia administrationis causa, ut etiam Paulus docet, tamen subditum esse non est seruitus, sed in imperijs debet manere libertas, hoc est, ut suum quisque teneat, ut nemo plectatur nisi propter delicta, ut iusti ciues habeant debitam defensionem.

Hæc est simplex et uera responsio, Reges habent ius sumendi aliquid ex priuatis facultatibus, scilicet administrationis causa, ad communem necessitatem, non quod prætextu imperij, sint domini omnium priuatarum facultatem.

Sciendum est autem dissimiles esse formas regnorum, et alibi alios esse gradus libertatis. Approbat autem Deus omnes formas imperiorum rationi et naturæ consentaneas. Semper igitur ualere debet ius naturæ, ne distinctio dominiorum turbetur. Præterea quælibet potestas debet sui regni leges conseruare, et eis obtemperare, ubi leges ipsæ concedunt libertatē ciuibus, et discernunt rerum dominia, ibi Reges peccant, cum occupant priuatorū facultates.

Habebant autem Israëlitem legem et quidem diuinitus datam, quæ discernebat possessiones et concedebat proprium ciuibus. Hanc legem abolere non licuit ulli Regi. Ideo peccabat Achab cum occuparet alienam uineam. Et Deus cum id scelus ulciscitur, declarat similiter se sumpturum poenam de alijs

Tyrans

Tyrannis. Ita & nos liberi sumus, ut Possessio libertatis testatur, & Romanae leges tribuunt civibus libertatem, & distinguunt dominia. Quare peccant principes cum rapiunt privatorum facultates, aut immoderatis expilationibus deglubunt populum, nam & ius naturae uetat eos aliena rapere, & legibus regni sui debent obtemperare. Sicut honestissime precipit lex Theodosij in codice, Digna maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. A deo de autoritate iuris nostra pendet autoritas, & reuera maius imperium est submittere legibus principatum. Et in institutionibus recitatur rescriptum Veri & Antonini. Licet legibus soluti sumus, attamen legibus uiuimus. Iactatur uulgare dictum. Omnia sunt imperatoris, quod etiam recitat Ambrosius. Et narrant lepidam fabulam de Henrico Lutzelburgensi Imperatore, qui cum in Italico itinere de quadam arce interrogasset cuius esset, cum Iurisconsultus quidam responderet Imperatoris esse, etiamsi quis alius esset dominus, quia Imperatoris essent omnia. Hic cum alius quidam Iurisconsultus reclamaret, & negaret omnia esse Imperatoris, conuenit ut Bononiae res diiudicaretur, et uictori equus daretur uictoriae premium. Bononiae in gratiam Imperatoris pronuntiatum est pro eo qui defenderat omnia esse imperatoris. Hic
facti

faceti quidam dixerunt : Victor habet equum, sed alter respondit, & quum. Porro cum propriæ de dominio loquimur, quod uidelicet est rerum proprietates, non est uerum omnia esse Imperatoris. Nam distinctio dominiorum, cum sit iuris gentium, nõ ideo tollitur, quia superior potestas creatur. Sic autem dicitur omnia esse Imperatoris, ut dicimus legũ esse omnia, id est, Imperator est supremus iudex & protector hominum, cuius iudicio res uelut cædẽe sunt, cum de earum proprietate ambigitur. Et in summa sic habet ius disponẽdi de rebus, ut ipsa lex. Ut igitur lex non tollit, sed confirmat dominia, seu proprietates, sic regia potestas non tollit proprietates, hæc ex illo fonte omnia iudicantur, quia distinctio dominiorum ualet iuræ naturæ & diuino. Manet igitur liberis suæ proprietates etiam si constituti sint Reges, nam his non licet tollere iura naturæ & diuina.

Hæc disputatio utilis est, quia ostendit quomodo res nostras teneamus, & docet Deo placere hanc Proprietatem, & rursus displicere tyrannidem & immoderatas expilationes. Atque ideo iura prædicant libertatem, quia libertas talis status est in quo suum cuique tenere licet, & nihil contra leges & honestatem facere cives coguntur, Quare & ipsa
iura

ius inquit, Philosophiam fauere libertati. Talis enim status maxime conuenit nature hominum. Ideo in codice libro sexto de Senatusconsulto Sylaniano scriptum est: maxime in libertatibus quas semper Philosophia amplectitur.

Deinde et si ius civile nihil proprium tribuit seruis, tamen ius nature, hoc est ratio naturalis et ius diuinum, precipiunt relinqui uictum seruis, sicut ait Ecclesiasticus: A sino onus pabulum et uirgam, ita seruo loborem, uictum et disciplinam.

Hæc sententia etiamsi de seruis loquitur, tamen si quis apte interpretetur, magna ex parte pingit optimum Reipublicæ statum.

Prima enim et nocentissima pestis est Reipublicæ, ocium uulgi, ideo principio requirit honestos labores.

Secundo opus est etiam disciplina, uidelicet ut delicta seuerè puniantur, ita conseruantur in Reipublica, honestas et pax.

Tertio æquum est etiam ciues frui suis laboribus, et opus est conseruatione facultatum ad educationem liberorum, et ut sint Reipublicæ præsidio, ideo iubet etiam uictum relinqui.

Illud etiam in fine adiiciendum est, quod Ambrosius rectè fecit, quod non cessit templum postulanti imperatori et tradituro hereticis. Quia propheta

na potestas non habet ius mandandi contra legitimam uocationem Ecclesiæ. Ideo ait: se nihil hac uoce terreri, qua dicebatur, omnia esse Imperatoris. Non enim de templo cedendo erat contentio, sed de cedenda uocatione. Non habet autem Imperator ius turbandi legitimam uocationem.

DE CONTRACTIBVS.

An fœnus exercere, pugnet cum
iure naturæ?

VSura est lucrum supra sortem exactum, tantum propter officium mutuationis. Nam cum accedit aliquid ad sortem, cum debitor efficacem causam damni dedit, illa accessio non est usuraria aut illicita. Sed hæc accessio est usuraria et illicita, de qua paciscimur propter officium mutuationis, etiam cum debitor non dedit efficacem damni alicuius causam.

Eruditi colligunt rationes, ut ostendant contra naturam esse, fœnus exercere.

Prima. Iniustum est exigere pecuniam, ubi nullius rei commutatio est, hoc est, ubi aliquis pro nihilo exigit pecuniam.

Fœnerator salua sorte exigit usuras, non pro aliqua re, quia fors est salua, sed tantum pro officio mutuationis.

Ergo iniustum est, usuras exigere.

Secunda, res non fructificans natura non est transferenda tanquam fructificans, ut pro agro elocato cum natura fructificet licet aliquid recipere, etiam si ipse ager non amittitur.

Pecunia autem non est res natura fructificans, Ergo pro precio non est aliquid exigendum cum fors maneat salua.

Tertia. Precium non debet esse merx, Pecunia est premium, Ergo pecunia non debet esse merx. Maiorem probo, quia quoadcumque premium fit merx, semper accedit aliquid sceneratori supra premium. Ita additur aliquid pro nihilo, & fit inaequalitas. Ita pauci scenatores exhauriunt ciuitatum facultates. Non enim possunt esse perpetuae commutationes, ubi non est aequalitas. Et hic quaestus eo maior est, quia multi sunt egentes, & plerumque sic affecti, ut etiam cum damno cupiant praesentem pecuniam conficere, ideo facile crescunt usurae, & exhauriuntur alienae facultates. Est igitur uera sententia & rationi maxime consentanea, quod premium non debeat esse merx.

Hanc rationem recitat Aristoteles primo Politicorum, & propter eam indicat usuras contra naturam esse, uerba Aristotelis haec sunt: Recte reprehenditur quaestus sceneratorum, quia cum premium debeat esse medium ad mercedem comparandam, usurae non

ræ non mercem acquirunt, sed tantum adiiciunt ad precium. Vnde & nomen habet τόκος, quia precio generatur precium, quod maxime contra naturam est. Hæc sunt Aristotelis uerba.

Cum igitur sit contra naturam fœnus exercere, prohibent usuras etiã ueteres legislatores, & Christiana doctrina eas prohibet. Et Psal. Qui pecuniam ad usuram non dedit, et Christus inquit, Mutuum date, nihil inde sperantes. Nam cum ait mutuum, non iubet donare, sed sortem uult reddi, illud tantum uetat, supra sortem aliquid exigi. Teneamus igitur piã regulam, quod fœnus exigere sit illicitum, & discamus Deo displicere illicitos quæstus, præsertim tales, qui alienas facultates prætextu aliquo illicito exhauriunt. Cæterum is qui soluit usuras non peccat, non enim afficit alios iniuria, sed patitur iniuriam. Hæc regula prius tradenda fuit, nam infra alibi fiet mentio usurarum. Sed obijciat aliquis.

Quædam ueterum iura permittunt usuras. Ergo non pugnant cum iure naturæ. Nego consequentiam, et ratio est. Quæquam enim permittunt, tamen non approbant, nam leges non possunt omnibus uitij mederi, ideo quædam dissimulant & moderantur, & dixi supra gradus esse naturalium. Quædam sunt simpliciter immutabilia, quædam sunt aliquo modo mutabilia, ut Aristoteles ait de his, qui sinistra

manu facilius utuntur quàm dextra. In his mutabilibus aliquem errorem dissimulant leges. Vide autem quomodo paulatim discessum sit à natura.

Vetera Romana iura, ut ait Cato, puniebant fœneratorem quadruplo, furem tantum duplo, postea uicit leges cupiditas malorum, & fœneratores ita grassati sunt, ut cogerēt etiam obœratos dedere corpora in seruitutem. Inde Romæ magni motus exorti sunt, & Athenis Solon lege prohibuit, ne liceret propter æs alienum, aut usuras, ciuem rapere in seruitutem. Deinde Imperatores in Codice moderati sunt usuras, & uetuerunt recipi centesimas usuras, id est, tantas quæ centesimo mense æquant sortem, hoc est de centum aureis, singulis mensibus unum aureum. Fit mentio centesimarum etiam in Decretis, distinct. 47, ubi Synodus Nycena prohibet usuras. Est autem centesima As usurarum.

AN VSITATVS CONTRA A-

ctus, in quo emitur redditus cum pacto reuendendi, sit licitus, aut sit usurarius?

SI quis disputabit has quæstiones non pertinere ad Ethicam, ab hoc petam ut interim sinat nos ijs uti, uel tamenquam aliunde accersitis. Certe enim
exem

exemplis contractuum opus est, si uelinus declarare, qualis æqualitas in commutatiua iustitia constituenda sit. Deinde hoc ipsum ἰσότης est, intelligere contractus esse res honestas, et Dei ordinationes humano generi, non simpliciter traditas, uitæ tuendæ causa, sed ita traditas, ut ipsi contractus doceant nos exercere officia uirtutum, & mutue dilectionis. Ipsi contractus sacramenta sunt, quæ monent nos, non tantum nostræ utilitati, sed etiam alienæ consulere debere. Quia impossibile est esse contractus perpetuos, si non sit æqualium permutatio. Ita contractibus de uinxit Deus homines inter sese, & impressit eis imagines uirtutum.

Secundo, est & hoc ἰσότης, cum uidemus legibus certas formas improbari. Sciendum est, legem magis esse dominam rerum nostrarum, quam nos ipsos. Cum autem dicimus legem esse dominam, sentimus Deum, qui est autor iuris, esse dominum.

Huc pertinet exemplum Leuit. 25. ubi ait dominus: Terra mea est, uos estis aduenæ & coloni mei. Et si autem polita Moyse non pertinet ad nos, tamen hoc exemplum monet, debere nos uti rebus, ita ut agnoscamus Deum esse dominum rerum, & nos uelut colonos Dei &c. Quare non debemus uti rebus pro nostra libidine contra uoluntatem domini, uel delictet legis & Dei.

Sed uenio ad questionem. Prudenter monuerunt Gerson & alij, non statim contractus uisatos iudicandos esse usurarios. Cum enim hec uita habeat contractibus opus, & magna uarietas incidat, reprehensio usitatorum contractuum, & conscientias perturbat, & magnos tumultus excitat in Re pub. ut uidimus accidere cū Strucius damnatis simpliciter his contractibus, de quibus disputamus, seditionem in Turingia excitasset. Ideo prudentia adhibenda est ne temere pronuncietur. Sed nature contractuum inspiciantur, & in iudicando adhibeantur eruditio & humanitas. Usura presertim immoderate sunt uituperanda, quia iniuste exhauriunt alienas facultates. Rursus autem uidendum est ne aut temere, aut nimis acerbe iudicemus de contractibus quos approbant leges. Tenenda est quare utilis regula Contractus, legibus & autoritate Magistratus, hoc est, boni & sapientis iudicis, seu iurisconsulti approbatus, concessos esse Christiano homini. Licet enim Christiano uti politicis ordinationibus. Et hęc ordinationes ualent non solum propter rationem, sed etiam propter autoritatem Magistratus, quam Deus approbat. Sic ergo Christianus conscientiam suam erudiat, ut intelligat hęc concessa esse, quia Deus approbet leges & Magistratus, & uelit nos uti politicis ordinationibus, & in contra-

Etiam

Etibus sit cōtentus eo medio, ea æqualitate quam con-
stituant leges & Magistratus, hoc est bonus & sa-
piens iudex, nec requirat punctum seu medium indi-
uisibile. Nam & ipse leges docent medium sumen-
dum esse εἰς πλάτην, id est, in aliqua latitudine,
nec posse unam tantum formam in talibus negotijs
indivisibiliter constitui.

Sciendum est autem tres esse formas contractus
redemptionis, de quibus disputamus. Prima forma
est, quando emitur certus fundus cum pacto de re-
uendendo. Secunda forma est huic similis, quando
emitur certus reditus in fundo certo, hæc duæ formæ
sunt vere emptiones. Quare hi contractus non sunt
usurarij, nam usura accidit mutuo, non accidit em-
ptioni. Non est usura cum fructus agri, quem usita-
to emi precio, superant præcij summam, propter di-
urnitatem usus. Nec usura est, si emptum agrum
iterum uendam illi ipsi à quo emi. Sed hic multa
quærentur.

Primo, an pactum reuendendi pugnet cum na-
tura emptionis. Item an conditio de reuendendo im-
pediat, quo minus emptor fiat dominus, cum non
liceat ei rem transferre, sed in potestate uenditoris
est eam ad se retrahere. Ideo enim aliqui contem-
dunt hos contractus tantum esse usurarias mutua-
tiones cum oppigneratione & simulatas emptio-

nes, quia uenditor potest rem uenditam redimere.
 Sed hij non recte iudicant. Etsi enim interdum alius
 quis abuti potest prætextu huius contractus, tamen
 non propterea forma contractus improbari potest,
 cum sit re ipsa & uere emptio. Respondeo igitur
 ad primam questionem, quod conditio de reuenden-
 do non tollat naturam emptionis, id testantur leges,
 ut. L. Si fundum. C. de pactis inter emptorem &
 uenditorem. Verba legis hæc sunt, Si fundum paren-
 tes tui ea lege uendiderunt, ut siue ipsi, siue heredes
 eorum emptori præcium quandocumq; uel in-
 tra certa tempora obtulissent, restitueretur, teq; pa-
 rato satisfacere conditioni diste, heres emptoris
 non paret, ut contractus fides seruetur, actio præ-
 scriptis uerbis, uel ex uendito tibi datur. Et planior
 textus est ff. de contrahenda emptione & uenditio-
 ne. Qui fundum uendidit, ut cum certa mercede con-
 ductum ipse habeat, uel si uendat, ut non alij sed si-
 bi distrabat, uel simile aliquid paciscatur, ad cõplen-
 dum quod pepigerunt, ex uendito agere poterit.

Hæ leges & approbant contractum, & testan-
 tur emptionem esse. Nam & emptionem uocant,
 & dant actionem ex uendito. Constat autem ex re-
 gula uisitata, quod de rebus ciuilibus, legum iudi-
 cium sequendum sit, & quod Christiano liceat uti
 legibus & contractibus, qui approbatur à legibus.

Ad secum

Ad secundam questionem respondeo: etiamsi circumscribit dominium conditio de reuendendo, sicut alie multæ conditiones, tamen non tollit naturam dominij, non prohibet quo minus emptor uere sit dominus, ut si quis uere dominus ædium suarum, obliget se eas ædes ad nullum alium translaturum esse, nisi ad te, siue donatione, siue uenditione, is manet tantisper uere dominus, & tamen non potest transferre ædes ad alium. Ita docet Iureconsultus. ff. de uerborum obligationibus. l. Ita quis, para. ea lege. ubi dicitur: seruum donatum esse ea conditione ne ad alium transferretur, & tamen ille uere fiebat eius serui dominus.

Hactenus citauimus auctoritatem legum, ut autem rationem etiam teneamus ex natura contractuum, addam argumenta. Nam ut leges, ita & contractus propter duo ualent, uidelicet propter auctoritatem & rationem. In mutuo & in oppigneratione, is qui dat mutuo, habet ius repetendi pecuniam. In hoc contractu emptor non habet ius repetendi precij. Ergo hic contractus est uere emptio. Nam si emptori ius retrahendæ pecuniæ non competit, necesse est uicissim aliquod dominium in eum translatum esse, ut seruetur commutationis æqualitas.

Alia ratio. Res emptæ perit emptori, oppignæ rata non perit tenenti pignus. In nostro casu, fundus

emptus perit emptori. Est igitur uera emptio. Hac satis sit de primo & secundo casu dixisse, non enim habent obscuram controuersiam, nec difficile est intelligere has esse ueras emptiones. Sūt enim ibi substantialia emptionis, cōsensus, merx, precium. Nam merx est fundus, aut ius recipiendi certos redditus, quod fundatum est in certo fundo. Vt enim licet emi seruitutem, uidelicet iter uel actum in alieno agro, sic licet emi ius recipiendi certos redditus, sed ita si sit constitutum ius in fundo certo. Nam de hoc casu hactenus dixi. Et quia ius debet esse in aliquo corpore, ut pereunte agro, periret iter seu actus, ita perit & hoc ius de quo nos diximus. Et ut seruitus illa potest esse merx, ita ius illud in nostro casu est merx.

DE TERTIA FORMA huius contractus.

Tertia forma huius cōtractus est, cum redditus non constituitur in fundo certo, sed in uniuersis bonis alicuius, ut cum emuntur redditus cōstituti in omnibus bonis alicuius Reipublicæ.

Porro an hic contractus sit emptio, aliquando obscurior disputatio est, sed multi eruditi Iuriscōsulti probant & hunc contractum, & sentiunt emptionem esse. Nā hic sunt emptionis substantialia, Merx,
Precium

Precium & Consensus. Merx est ius percipiendi redditus, & cum hoc ius in aliquo corpore esse debeat, corpus sunt omnia bona fructificãtia istius Reipublice. Nam in his omnibus simul tale ius constitui potest, sicut in alieno agro seruitus aliqua constituitur, uidelicet actus aut iter.

Est enim prudentiss. & rectiss. dictum quod scripsit Innocentius: uidendum esse in hoc contractu ut redditus constitutatur in re, seu ad rem referatur, non ad personam uendentis, & addit Innocentius talen contractum nõ esse usurarium, cum in eo sint Merx & precium, et talia iura realia licitum sit uendere. Nec alia difficultas in hac forma est, nisi quod aliquanto obscurius est, quod dicitur uniuersa bona habere rationem corporis, quã quod supra dicebatur certum fundum in quo certi redditus emuntur, habere rationem corporis, ut cum 20. modij in agro certo emuntur, quo pereunte simul perit emptori ius suum. Sed agitata questione satis intelligi poterit, quod uniuersa bona possunt se habere tanquã certum corpus, modo ut onerentur pro proportione, et qui accipit redditum sustineat periculum pro proportione. Addendæ sunt ergo rationes.

Prima. Pars aliqua certa potest onerari seruitute. Ergo etiam uniuersa bona possunt simili seruitute onerari, nec apparet ratio dissimilitudinis.

Secunda,

Secūda, Licet Reip. ex uniuersis bonis alicui red-
ditus aliquos donare, et huic licet donatos uendere.
Licet igitur et ipsi Reip. tales redditus uedere.

Tertia, Redditus olim constituti, ut decimæ pos-
sunt uendi. Possunt igitur et noui redditus constitui
& uendi, si tanti sit corpus fructificans, ut sustine-
re noua onera possit.

Quarta, In emptione non habemus ius neq;
tempus ullum repetendi precij. Cum enim precij te-
nendi ius omnino translatum sit in accipientem, ne-
cesse est uicissim in dantem aliquod ius tanquam mer-
cem translatum esse, alioqui nulla existeret æqua-
litas. Sed in hoc casu emptor non habet ius repeten-
di precij. Est igitur uera emptio. Hæc ratio sumpta
est ex ipsa natura emptionis. Nam proprium est
in emptione, non habere ius repetendi præcij.

Sed agitatæ argumentis quæ contra hanc senten-
tiam obijciuntur, res fiet illustrior, quare ea dia-
luemus.

Contra. C. Plus ualere quod agitur, quàm quod
simulate concipitur, inquit lex, emptione pignoris
causa facta, non quod scriptum, sed quod gestum est,
inspicitur. In tertio casu fit simpliciter emptio pi-
gnoris causa, id est, fit oppigneratio non emptio.
Ergo prorsus est simulatus contractus. Minorem
probo. Quia bona illa in quibus emptio fingitur
tantum

tantum sunt re ipsa pignus, etiamsi propter prætextum additur nomen emptionis. Imò instrumenta fatentur quod oppignorata sint omnia bona. Respondeo ad minorem, Hoc argumentum est sane εὐπρόσωπον & uidetur labefactare nostram sententiam, interdum etiam fit, ut specie huius contractus, abutantur homines.

Sed tamen fundamenta nostræ sententiæ consideranda sunt, quæ si sunt uera et firma, anteferrî debent isti obiectioni.

Sunt autem hæc fundamenta. Certum est quod licet alicui in bonis suis constituere redditum sicut alias seruitutes, certum et hoc est, hunc redditum alteri, uel donari uel uendi posse, hæc sunt clariora luce meridiana. Potest igitur uera emptio existere in nostro casu, & non tantum est oppignatio. Nam quod talis contractus differat à mutuatione, manifestum est.

Quia in mutuo, ille qui dedit mutuo, habet ius repetendi mutuum, sed in nostro casu, emptor fundi aut redditus, non habet ius repetendi precij.

Respondeo igitur ad argumentum. Cum hic non ster contractus uere differat à mutuatione, & habeat substantialia emptionis, non est emptio pignoris causa facta.

Quod autem omnia bona oppignerantur, ne id quidem uitiat emptionem. Nam oppignatio non uitiat

uitiat emptionem, ut testantur multe sententiae Iurisconsultorum.

Aliud contrarium. Ius debet esse incorpore certo, quo sublato, Ius sublatum intelligatur. In tertio casu nullum certum corpus est, immo etiam si bona illa insigni damno affecta sunt, tamen exigitur pensio, igitur tota res est simulata. Respondeo ad minorem. Est certum corpus in quo fundatur ius illud, uidelicet omnia illa bona, sicut certus ager est in quo seruitus constituta est. Sed quemadmodum amitterem actum aut iter in agri parte, quae perisset alluione, ita si bona illa sint insigni damno affecta, debet seruari æqualitas, ut uicissim pro proportione aliquid remittat emptor.

In hanc sententiam ait Baldus, se probare hunc contractum, si hæc æqualitas seruetur.

Aliud contrarium. Periculum rei uendite pertinet ad emptorem. In hoc contractu, tantum grauatatur uenditor, quia emptor exigit pensionem, etiam si illa bona sunt damno affecta aut perierint. Ergo non est non uera emptio. Respondeo ad minorem. Periculum pertinet ad emptorem, si insigni damnum acceperint illa bona, in quibus intelligimus ius fundatum esse, sicut perit actus aut iter, si ager perijt alluione.

Aliud contrarium. Leuitici. 25. mandatur ut fructus fundorum computentur in sortem. Ergo

nos debemus fructus computare in sortem, cum ememus fundum cum pacto de reuendendo, & redderi fundos sine pretio &c. Respondeo. Neganda est consequentia. Quia Politia Mosaica nihil pertinet ad nos. Hoc autem onus de reddendis fundis in Iubilæo erat peculiaris ordinatio illius gentis, sicut circuncisio. Seditiosum autem esset eam tanquam necessariam transferre ad nostras Respublicas, tametsi habuit in illo populo rationem, & exemplum humanitatis. Deus enim noluit ullam familiam expilari, sed suos fundos singulis conseruari. Ita simul conseruabantur familie, & minus loci erat auaricie, non poterant ditiores aliorum ad se prædia coemere. Erat igitur hæc ordinatio utile uinculum in illa Republica, uerum nihil obligat nos: sicut iam non tenemur lege de circuncisione, sed nostris legibus, quæ sunt consentaneæ rationi, & approbatæ à nostris Magistratibus, obtemperare debemus.

AN RATIONE EIVS QVOD
interest peti aliquid possit in mutuo
supra sortem.

Respondeo: Interesse uocatur quod debetur alicui, uel quia damno affectus est, uel quia licrum aliquod impetitur est, ideo distinguitur interesse: aut oritur propter damnum emergens, aut propter

propter lucrum cessans. Exemplum. Si quis debuit mihi soluere 20 aureos Calendis Maij, & non soluit, si propter illam moram damno affectus aliquo sum, uidelicet, quia tunc debebam alteri soluere, cui cum non soluerem, ille fecit sumptus, & hos quoque à me petit, id interest propter damnum mihi emergens.

Sed & aliud discrimen necessario obseruandum, aliud damnum accidit ante moram, hoc est, ante diem solutioni constitutum, aliud damnum accidit post moram, id est, postquam debitor non soluit constituto die. Nunc igitur respondeo: Verum & non simulatum interest quod accidit mutuanti est, cum damnum emergens post moram accedit. Ut si quis debuit mihi 20. aureos soluere Calendis Maij, hos quia non soluit, postea alius quispiam cui debebam, fecit sumptus, & hos à me repetit, hic damno afficior propter moram illius qui mihi debebat. In huiusmodi casu, pronuntiatur ultra sortem deberi, id quod interest, & licite peti posse, etiam si nulla accessit stipulatio de eo quod interest, id consentaneum est & scripto iuri & naturali æquitati. Nam qui dat efficacem causam damni alteri, debet illud compensare. In hoc casu, mora post tempus solutioni constitutum, præbet efficacem damni causam. Quare æquissimum est, ut id quod interest, soluatur. In hoc casu

casu perspicui potest, quo sit uerum & non simulatum interesse, quod accidere solet mutuanti, uidelicet quod debetur, etiam si nulla accessit stipulatio. Hinc iudicari potest ubi in mutuo preteratur interesse, quod uidelicet sine stipulatione nequaquam deberetur, & efficit ne mutuatio ipsa sit liberalis, sed est quasi precium mutuationis, & captatio lucri ex mutuatione.

De lucro cessante post moram, hoc est, cum debitor non soluit constituto die: pronunciant ad eundem modum deberi id quod interest, sicut iam de damno emergente diximus. Sed in hoc secundo casu tantum personis negociantibus hoc concedunt. Nam in negociatione lucrum cessans uicinus est damno emergenti, ut Panormitanus in. c. Cum questus, de usuris scribit, sed probabili ratione iudex etiam ad reliquas personas exemplum accommodare potest.

Sed de damno emergente & de lucro cessante ante moram in mutuo, iura quidem non dant actionem nisi quis stipulatus sit, ut soluatur illud quod interest. Itaque nunc usitata est hæc stipulatio in mutuatione, & sæpe pretextus est usurarum. Hoc igitur queritur an liceat stipulari de eo quod interest etiam ante moram. Respondeo, Licet stipulari de eo quod interest etiam ante moram. Ratio, Iustam com-

pensationem licet stipulari, soluere id quod interest
 est iusta compensatio, Ergo licet eam stipulari. Mi-
 norem probo. Quia iura diserte discernunt inter
 usuras & id quod interest. In usuris captatur lu-
 crum ex officio mutuacionis, & ipsum officium
 confertur ad questum. Sed cum petitur id quod in-
 terest, allegantur uera & nō simulata damna, que
 proprie ex hac mutuacione orta sunt. Nemo autem
 debet alteri dare efficacem causam damni, ideo dili-
 genter considerandum est quod, ff. pro Sotio. l. so-
 tium, & C. de usuris. l. cum allegas in glossa, prude-
 tibus, discernuntur usuræ et id quod interest. Ideo Do-
 ctiores hanc stipulationem eius quod interest appro-
 bant, modo sit uerum & non simulatum interesse.
 Et in. C. peruenit de fideiuss. pronunciat Pontifex
 ut fideiussori qui pro alijs soluerat, soluantur &
 creditum & quanti interest. Hic casus simillimus
 est casui nostræ questionis. Nam fideiussor ille in-
 terim uelut mutuo dat pecuniam illi pro quo soluit.
 Quare Doctores hoc exemplo utuntur, & senti-
 unt hanc stipulationem licitam esse, & tale interes-
 se ex conuentione peti posse. Sic iudicat Hostien-
 sis in. C. salubriter de usuris. Deberi etiam id quod
 interest lucri cessantis ante moram, sed addit, modo
 ne sit prætextus usurarū. Et si enim aliquam æquam
 compensationem concedat, tamen metas certas con-
 stituit

fitiui, ut in personis quibus facultates suæ præcipuæ sunt in pecunia & negotiatione. Hic cum non possint sine danno magna pecunia carere, æquum est aliquam compensationem reddi, & eatenus probant hanc stipulationem.

Et hæc compensatio sit mediocris pro iudicio bonorum uirorum, aut certe Iudicis. Nam æqualitas in ciuilibus negotijs nõ uersatur in indiuisibili, sed ἐν πλάτῃ, hoc est in latitudine. Ideo non potest unum aliquod, seu punctum seu una forma, constitui si tantum stipulatur quantum etiam sine stipulatione bonus uir probabili ratione deberi sentiret, seu quantum est damnum, seu propemodum quantum esset lucrum quo interea fraudatus est: hæc forma probabilis est. Sed cum lucrum captatur, ideoq; accessio immoderata petitur, præsertim cum is qui mutuo dat, nihil sustineat damni, nec honeste alia ratione tantum lucrari soleret, tunc interesse illud de generat in usuram. Quare non sunt prætextu eius quod interest excusanda illæ crudeles usuræ Saxonicae, aut aliæ quæ uelut hircines exugunt principes & Respub. Videmus in legibus honestam & plenam humanitatis & æquitatis appellationem esse id quod interest.

Hæc honesta appellatio non debet prætexti turpissimæ rapacitati sceleratorum.

Hactenus recitavi sententiam Hostiensis, & si autem Panormit. in. C. Naviganti, de usuris aliquan-
 to uerecundius pronuntiat, tamen idem sentit, mo-
 do non pretextatur simulatum interesse. Hæc enim
 sunt eius uerba nota: In contractu mutui peti posse
 interesse post moram lucri uerisimiliter cessantis.
 Sed an à principio possit haberi ista ratio, posset
 forte dici, quod ubi mutuans ducitur bona intenti-
 one, nec mutuatur in fraudem captandi lucri causa,
 quod tunc excusatur à peccato, licet alia opinio sit
 tutior. Itaq; si non sit simulatum interesse, concedit
 & Panormitanus ante moram peti posse, & satis
 honesta ratio est si fontes considerentur. Quia ut
 supra dictum est, longissime differunt interesse &
 usura. Leges ipse iudicant æquissimam & hone-
 stissimam esse compensationem eius quod interest,
 sicut Baldus inquit. L. acceptam. C. de usur. com-
 mune & æquum interesse uenit in omni contractu.
 Concludo igitur, quod liceat stipulari quanti inter-
 est damni emergentis etiam ante moram, nec id ual-
 de obscurum est. Nam uerum interesse soluere non
 est usura, & hæc compensatio deberetur iudicio bo-
 ni uiri, etiamsi non intercessisset stipulatio, nemo
 enim debet alteri dare efficacem causam damni. Et
 si autem obscurior est ratio de lucro cessante ante
 moram, tamen si sit probabilis ratio, etiam conce-
 dendum

dendum est quod liceat stipulari, quanti interest ante moram lucri cessantis.

Sed ut dixi, fit probabilis ratio, uidelicet si talis sit casus, in quo uir bonus iudicaret alteri deberi compensationem, etiam si non intercessisset stipulatio, & sit compensatio moderata & æqua.

Hæc dixi, ut moneam studiosos, ut discernant usuras à petitione eius quod interest. Quare non sunt damnandæ sine discrimine omnes mutuaciones, in quibus hij qui mutuo dant stipulantur, quanti interest ante moram. Nam boni uiri re honesta bene uti possunt. Estq; in his negotijs illud etiam considerandum, quod sufficit habere probabilem rationem et consentaneam legibus. Quia medium, ut supra dixi, habet aliquam latitudinem. Sed cum probabilis ratio reclamât, tum cõstat officium mutuacionis tantum ad quæstum conferri, quia in emptionibus honestis illa pecunia tantum lucri non pareret. Hos quæstus palam apparet usurarios esse. Sunt autem usuræ iniuste propter multas causas, quia in eis non seruatur æqualitas: Fœnerator enim recipit sortem, & supra sortem usuram pro qua nihil dedit. Item facilius est pecuniam sic mutuo dare quàm conferre in emptionem, & accedit ingens & certum lucrum.

Fœneratores enim non sustinent periculum, &

sæpe alter de illa pecunia nihil lucrifacit. Hæc inæqualitas causa est quare usuræ facile exhauriant alienas facultates. Ideo Cato comparavit eas homicidio, interrogatus enim quæ esset optima ratio paranda rei familiaris, cum de agricultura respondisset, & alius interrogasset de usuris: quid, inquit, est hominem occidere?

Hæc eo adiecinus, ut meminerimus etiam in hac contractuum doctrina nos admoneri, non tantum de nostris utilitatibus, sed de officijs humanitatis et virtutis, videlicet ut discamus referre actiones nostras ad aliorum utilitatem & communem societatem hominum.

AN SIT LICITVS CONTRA

ctus societatis, cum alter pecuniam, alter operas confert, & is qui pecuniam confert, postulat lucri partem salvo capitali.

Variæ sunt societatis species, sed multa ex hæc forma iudicari possunt, quam in questione posui. Approbant autem leges hunc contractum, in quo alter confert pecuniam, & salvo capitali petit lucri partem, alter operas confert.

Ita enim manifeste docet textus in institutionibus de societa

de societate, his uerbis: Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpe opera alicuius pro pecunia ualet. Deinde & hoc addendum est, non uitatur hic contractus, etiamsi alter paciscatur maiorem lucri partem. Sed hoc intelligi debet de lucro, scilicet, si deductis damnis reliquum sit lucrum: ut si is qui collocat operas, industriam & fidem adhibuit quantum debuit, si postea reliquum est lucrum, licet alteri iuxta pactum maiorem lucri partem saluo capitali accipere. Sin autem ille præstitit diligentiam & fidem quantum debuit, & tamen nihil lucratus est, imò etiam damno affectus est, in hoc casu debent æqualiter sustinere damna, nec tantum plecti is qui collocauit pecuniam.

Sed hic queritur: An in societate liceat pacisci, ut nihil sustineat damnis is qui pecuniam confert, & habeat saluum capitale, etiamsi alter nihil lucratus est, imò etiam damno affectus est. Hæc quaestio ualde exercuit Doctores. Mihi uidetur is contractus in quo ille de capitali hoc modo paciscitur re ipsa mutatio esse non societas. Nam ad naturam societatis pertinet exæquatio damnorum, & talem societatem, in qua alter nihil periculi uult sustinere, clare improbat lex, Si non fuerint. ff. pro socio, ubi Casi

us aut Leoninam societatem esse, ubi alter tantum lu-
era, alter tantum damna sentiat.

Dixi autem de mutuatione supra, in mutuo de-
bet saluum esse capitale, sed nō debet addi pactum,
quasi prætexit societatis partem lucris, aut
maiorē, is qui nihil damni uult sustinere, postulat
usus sit, nam in hoc casu nulla est societas.

Cæterum quomodo ad mutuum accedere potest
pactum, ut soluatur aliquid nomine eius quod inter-
est, si sit moderatum et habeat probabilem ratio-
nem, supra dictum est.

VTRVM SACERDOTES

sint usuarij, aut usu-

fructuarij.

Vetus est questio, an sacerdotibus liceat habe-
re proprium. Deinde, quale ius suorum re-
dituum habeant, et hac de re magnæ sunt conten-
tiones Iureconsultorum. Alij disputant sacerdotes
tantum habere usum, Alij defendunt etiam usufru-
ctum eos habere Ecclesiasticarum pensionum.

Est autem usus, ius quo licet possidenti pro se
et familia uti rebus seu fructibus, ita ut reliquorum
fructuum proprietatem non consequatur. Quare
illos non potest uendere alijs, aut in testamento eos
transfer

transferre ad alios. Exempla sunt usitata, ut cum usus alicuius præfecturæ conceditur alicui.

Sed usus fructus est, Ius quo licet uti rebus seu fructibus, ita ut reliquorum fructuum proprietatem possessor consequatur, sed fundi proprietatem non habet.

Cum igitur interdum sacerdotes uendant reliquos fructus, aut donent alijs, aut in testamentis transferant in alios, extiterunt quæstiones, recte ne id fieri possit, cum ecclesiastica bona sint Eleemosynæ. In Eleemosynis autem tantum usus cõstituitur, uidelicet ut supersint reliqui fructus ad necessitatem aliorum egentium. Et extat dira constitutio in Decretis. X. quæstione. II. quæ uetat Episcopos & Diaconos alienare reliquos fructus, uidelicet quia inde iuuandi sint alij egentes. Facile autem hæc quæstio dijudicari potest, si prius constituamus, quod liceat pastoribus Ecclesiarum, seu ministris Euangelij tenere proprium. Quod enim id sit pium & concessum, hæc ratio satis confirmat.

Pium & concessum est omnibus Christianis, uti politicis ordinationibus, tanquam bonis Dei creaturis. Emptio, uenditio, proprietas, usus, fructus & similes ordinationes, sunt ordinationes politicæ. Ergo & sacerdotibus ut cæteris Christianis concessæ sunt. Nec ideo sunt excipiendi pastores Ecclesia-

rum, quia scriptum est, non licet possidere argentum in zonis. Nam in hac sententia *τὸ ἐργάζεσθαι* debet iudicari ex summa doctrinae Evangelij, quod concedit & approbat usum rerum politicarum. Imo cum addit Christus: Dignus est operarius mercede sua, tribuit eis proprietatem, nam merces est propria cuiusq; Et haec uox Christi duo complectitur, consolatur Doctores promissionis, ut sciant Deum ipsis prospecturum esse, & quasi fidei uere, etiam si mundus nolit eos alere. Item docet Ecclesiam quod debeat: docentibus mercedem.

Quare igitur inquit, nolite possidere argentum aurum &c. Respondeo: Haec dicta non tollunt civilem usum rerum, sed uentant in ministerio principaliter queri aut spectari alia commoda, hoc est, uentat propter inopiam deserui ministerium a uocatis: uentat etiam ministerium ad querendam potentiam & opes. Ita diffidentiam prohibet & ambitionem, quasi dicat: Non sic sentite, non esse descendendum, nisi satis muniti sitis Regum praesidijs, & instructi magnis opibus. Item: Non arrogate uobis potentiam: non occupate opes Rerum publicarum, praetextu ministerij.

In Synodo Basiliensi fuerunt certamina cum Bohemis, an sacerdotibus liceat habere proprium: sed nos fugiamus superstitiosas opiniones, & utraque

manu *θεσπυ* teneamus, quod Euangelium appro-
bet politicas ordinationes, quare concedit omnibus
Christianis proprietatem.

Nunc uenio ad alteram questionem, de qua re-
spondeo: Ministros Euangelij haud dubie esse usu
fructuarios. Loquor autem de doctoribus, & de dis-
centibus, & similibus personis, quae in aliqua admi-
nistratiōe sunt. Quia merces sit propria eius qui
meritus est. Reditus ministrorum Euangelij est mer-
ces, sicut Christus testatur: Item Paulus uocat stipen-
dia. Ergo ministri Euangelij, cum tota merces sit
propria, habent in fructibus, qui ex mercede reliqui
sunt, proprietatem, possunt reliquos fructus dona-
re, uendere alijs pro suo arbitrio &c. Tales autem
sunt usufructuarij.

Quod uero obijcitur, in Eleemosynis non potest
constitui nisi fructus, quia Eleemosynae dantur ad ne-
cessitatem, hoc est, ad usum tantum, non ut pars ad
quaestum conferatur, quia ita defraudantur reliqui
pauperes: Sed reditus Ecclesiarum sunt Eleemo-
synae: Ergo non potest in eis constitui usufructus.
Hoc argumentum diluitur inficiatione Maioris,
quia in alijs Eleemosynis usus, in alijs usufructus cō-
stituitur: nam Ecclesia aliās dat Eleemosynas tan-
quam stipendium, ut ministris Euangelij docenti-
bus & discipulis: aliās dat Eleemosynas gratis
ad necessi

ad necessitatem egentibus, quorum nõ utitur opera. Hęc distinctio admodum commoda, & pia est, quia monet ociosos ne Ecclesiam defraudant, sed sint modici Eleemosynis contenti. Rursum etiam monet ne necessarium ac debitum opus esse, honestam mercedem dare docentibus ac discipulis. Non est igitur leue scelus, nihil uelle conferre ad alienos ministros Euangelij: aut etiã Ecclesiarũ facultates diripere, quæ nõ tantum sunt Eleemosyne constitutæ ociosis gentibus, sed potius magna ex parte sunt stipendia debita docentibus ac discipulis constitutæ, ad conseruandam doctrinam Ecclesie necessariam. Quare discant hic moderata ingenia, quid debeant ministris Euangelij. Paulus inquit: Duplici honore digni sunt qui bene præ sunt, id est, primum detur eis honos, deinde honesta merces.

Ezechias laudatur quod diligenter curauerit, ut populus daret sacerdotibus portiones, quas ipsis lex attribuit. Et ait textus. 2. Paralip. 31. ut possent uacare legi Dei. Significat igitur hanc liberalitatem ideo placere Deo, quia necessaria est ad conseruanda studia religionis. Prophetæ etiam atrociter minantur populo, propterea quod non soluunt sacerdotibus ea quæ lex eis attribuit, ut Hagei. 1. scribit causam esse quare male proueniant fruges, quia populus non solueret quæ templo debebant. Et Malachi.

lach.

Lach. 3. Inuerte omnem decimam &c. Et aperiam
uobis cataractas coeli.

Hæc testimonia docent, quàm necessarium officium
sit ministris Ecclesiæ mercedem reddere. Quod ut
maiori fide præstemus, hortari nos debent hæ gra-
uissime comminationes & promissiones diuinæ.
Quæ cum omnes monent, ut singuli pro uocatione
& facultatibus iuuenus Ecclesiæ ministros, tum ue-
ro uetant direptiones facultatum Ecclesiasticarum,
quod quidem non est simplex scelus. Primum lædit
gloriam Dei, quia cum deerunt sumptus, defuturi
sunt Ecclesijs docti & idonei ministri. Deinde de-
fraudantur & illi ipsi qui sunt in ministerijs, &
horum parui liberi, qui propemodum fame necantur.

Sciamus igitur hæc quæ ministris dantur mer-
cedes esse, quare habent usufructum suorum red-
dituum.

Et admonet nos hæc disputatio, ut diligentius sol-
uamus ministris Ecclesiarum ea quæ eis constituta
sunt. Imò singuli sciant se aliquid conferre debe-
re ad Ecclesiarum & ministerij conseruationem.
Sicut Paulus inquit ad Gallas: Communicet discipu-
lus docenti Euangelium. Et Salomon: Honora De-
um de tuis facultatibus, & implebuntur horrea tua.
Intelligit enim beneficia, quæ conferuntur ad con-
seruationem ministerij.

VIVRE NE INTERFECIT

Mars Neptuni filium, propter stuprum
Alcipes filie Martis.

GRæci fingunt in Areopago Deos exercuisse
duo iudicia capitalia. In altero aiunt Martem
accusatum esse à Neptuno: Mars enim interfecerat
Alcirotam Neptuni filium, propter stuprum obla-
tum filie Alcyppe. Est autem Mars ob solutus Deo-
rum iudicio. Hic queritur de stupri poena, an Mars
potuerit stuprum filie puniri cede. Secundo, si sup-
plicium fuit atrocius iusto, an habeat excusationem
quod paterno dolore iniuria filie uehementius com-
motus sit. Quare in hac questione duo in sunt loci
communes præcipui, alter de poena stupri, alter,
quando cedes habeat excusationem.

De priore loco. Ratio naturalis indicat supra
seuere punienda esse: id ut significarent Græci, su-
xerunt hanc poenam stupratoris, & quidem Deum
autorem supplicij fecerunt, ut monerent, Deum of-
fendi, si huiusmodi supplicia non puniantur. Itaque
in ciuitatibus iure constitutis semper fuerunt leges
de stupro.

Differunt autem stuprum ui factum, & stuprum
sine uiolentia factum. Romanum ius nominatum capi-
tali poena stuprum ui factum & raptum punit. Et
inter

uterq; casus lege Iulia pronuntiatur esse uis publica, quo crimine nullum est atrocius.

Lex Mosaica etiam & Atticæ leges stuprum uis factum capitalibus poenis puniebant.

Sed aliud est stuprum sine uolentia, hoc habet iure Mosaico poenam: Ducat & dotet.

Attico iure mitiorem poenam habet: Ducat aut dotet.

Lex Mosaica cõsuluu honoru puellarum, & auxit poenam, cogit enim ad ducendã, item ad dandã dotem, & uetat cum illa unquam facere diuortium.

Ius Romanum Constituit grauiorem poenam, scilicet, personas humiliore*s* iubet coerceri corpore, & relegari, sed personas non uiles punit publicatione dimidiæ partis honorum. Itaq; ius Romanum quia seuerius punit supra, honestissimum est.

Nunc respondeo ad quaestionem. Si Alyrotaus uis compressit Alcyppen, & Mars eum deprehendit adhuc uis tenentem puellam, iure interfecit iuuenem, seu quia ille uis fecit, seu tanquam raptorem. Qui arcet uis publicã à suis, impune potest interficere in continenti eum qui infert uis. Sic Mars ultus est uis illatam filie. Ergo iure interfecit Alyrotaum.

Alia ratio. Stuprum uis factum & raptus sunt paria, quia utrunq; est uis publica. Raptorem licet interfici deprehensum in ipso raptu. Ergo etiam stuprum
prato

pratorem talem deprehensum tanquam raptorem licet interfici.

Hæc defensio Martis est propria, & sumpta ex summo iure de poena stupri uis facti, aut de poenariptus. Et hac defensione utitur Mars apud Libanium, narrat enim puellam uis stupratam esse, seq̃ tanquam patrem contumeliam uis illatam iure ulcisci potuisse.

Addit exemplum, quo probat defensionem hanc seu uindictam esse naturalem, quia etiam bestie incendantur dolore atq; ira, & propugnent aut ulciscantur uim allatam soboli. Sed existimo Græcos hunc casum Alcypes finxisse de stupro sine uis facto: Nam iudicium de uis non est difficile, sed casus Alcypes uidetur excogitatus, ut in controuersia dubia exemplo esset, uidelicet de stupro sine uis facto, an id quoq; atrociter puniendum sit, an pater uis dolore uehementius commotus habeat excusationem. Hic casus continet eruditæ disputationes. Ita q; si fingamus in casu Alcypes stuprum non esse uis factum: quero, an licuerit Marti stupratorem interficere. Respondeo: De nupta concedunt Romane leges patri interficere simul moechum & filiam nuptam alteri. Deinde marito concedunt Atticæ & Romane leges interficere moechum, non etiam uxorem

Pausanias

Pausanias allegat Draconis legem, & extat Lyfia oratio, in qua defenditur quissiam qui machum interfecerat: & citatur lex Attica, in qua expressum est: Adulterum impune interfici posse a marito. Et quidem addit, etiam illum impune interfici posse, qui concubinam alterius comprimit. Sed hæc leges de nupta loquuntur, & de adulterio. Non autem concedunt leges interfici eum, qui puella inuptæ stuprum sine ui obtulit. Non igitur licuit Marti interficere Alirotaum, si stuprum sine ui fecit. Et tamen quia hæc cædes multa habet dissimilia homicidijs quæ lege puniuntur, ideo fingitur hæc fabula, ut moneat $\epsilon\pi\sigma\iota\sigma\tau\epsilon\sigma\epsilon\upsilon$ in iudicando adhibendam esse, si rationes probabiles propter dissimilitudinem circumstantiarum suadeant, remitti aut mitigari pœnam.

Alirotaus prior intulit iniuriam, & in ea re quæ iustum & ingentem dolorẽ adfert patri, Quia igitur pater non sua cupiditate, sed atrociter irritatus ultus est contumeliam, Iudex non pronunciat secundum illam legem, quæ punit homicidas seuientes propria cupiditate sine probabili causa. Propter hanc dissimilitudinem remittit aut mitigat pœnam, præsertim cum in uicinis casibus aperte concedatur iracundiæ patris, aut mariti, uidelicet, in pœna adulteri.

L Præterea

Præterea decet Deos, hoc est, Reges, exemplo suo declarare, se non leuiter irasci stupris & libidinibus. Ideo seuerius punienti facilius ignoscunt. Propter has causas Mars iuste absolutus est. Est enim longius progressus est quàm lex concedit, tamen quia hoc factum dissimile est homicidijs illis, quæ lex ultimo supplicio punit, aliter hic iudicatum fuit. Proinde hæc fabula monet de duabus rebus.

Primum, significat stuprum dignum esse grauius poena: & ut plus autoritatis sit in exemplo, fingitur esse Deorum iudicium, ut cogitemus Deum requirere ut supra puniantur.

Secundo monet de ἐπιείκεια, quod propter probabiles causas homicidij, poenæ interdum remittendæ aut mitigandæ sint. Ita in C. l. Grachus inquit: Et nox & dolor iustus factum eius releuat. Et alicubi accidit, ut frater peregre abiens, commendarit fratri uxorem custodiendam. Hic factus familiarior uxori fratris, habet cum ea incestam consuetudinem. Frater rediens, re comperta interficit fratrem, Magistratus audita causa, prorsus nulla poena afficiendum esse autorem cædis huius censuit. Tanta est in scelere fratris turpitudine, ut poena atrocitatem obruat. Et uideatur Magistratus non temere usus esse ἐπιείκεια in remittenda poena illi qui eadem fecerat.

PHILOS. MORALIS 163
AN SPONSALIA SINE
consensu parentum facta, de-
beant esse rata.

Precipue pertinet ad iusticiam societas coniugum: est enim coniugium societas ita contracta, ut coniunx transferat ius corporis sui certo modo pro iure alterius corporis, cum sit iusticia, æqualitas utrinq; conseruanda est, ut uir sit non tyrannus coniugis, sed iudicet esse æqualem, nec conculcet tanquam inferiorem.

Sicut Eua condita est ex costa, non ex capite aut pedibus, ut significetur æqualitas, & hæc coniunctio est rata lege diuina & lege natura. *Quæsitum est autem, an ualeat desponsatio facta sine autoritate parentum, aut aliorum qui sunt loco parentum.* Hic primum recitabo uetera iura, quæ rescindunt desponsationes factas sine autoritate parētum. Deinde dicam de recentioribus Pontificijs Decretis, quæ secus constituunt. Neque hæc eò disputo, quod priuatis concedam abrogare usitatam legem, sed causas querimus, & de magistratuum iudicio loquor, quomodo in hoc casu præsens lex moderanda sit. *Quod autem uetera iura rescindant desponsationes factas sine autoritate parentum, constat ex institutionibus, ubi textus clare inquit. Dum tamen si filij familiarum sunt, consensum habeant paren-*

L 2 tum,

tum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & civilis & naturalis ratio suadet, in tantum, ut iustus parentis precedere debeat, Et. 30. quæst. 5. Pontifex. Euaristus ait, ad legitimum connubium requiri consensum parentum. Et Ambrosius in historia Rebecce requirit, ut accedat consensus parentum, idque ait adeo honestum, & naturæ consentaneum esse ut etiam poëta idem docuerint. Et allegat Euripides, aquæ quem in Andro, cum Orestes peteret connubiū Hermiones, hæc respondet: Eam rem pertinere ad arbitrium patris. Versus hi sunt.

Νυμφουμάτων μὲν ἄν' ἐμῶν πέρας ἐμὸς
 Μερίμνῳ ἔξω τ' οὐκ ἐμὸν κείνῃ τὰ δέ.

Sponsaliorum meorum pater meus curam habebit, & non est meum statuere hoc. Huc additur confirmatio ex Decalogo, Honora patrem & matrem, quod liberi cum debeant obedientiam parentibus, non habeant ius sine illorum consensu contrahendi. Et cum sint in potestate parentum, contrahens tanquam furtim abducat alienam personā. Propter has causas in ueteri iure satis perspicua honestas est, & Paulus ad Corinthios tacite tribuit auctoritatem parentibus, cum ait: Qui elocat, recte facit &c. significans auctoritate parentum elocandos esse liberos. Præterea hic colliguntur incommoda que oriuntur, si desponsationes factæ sine auctoritate parentum

rentum sint ratæ, sæpe liberi dolo & fraude circumuenti contrahunt indignas nuptias. Et cum persona dolo circumuenta non uere consenserit, tamen postea non liberatur, etiamsi re expensa cupit liberari. Interdum cæco impetu contrahunt inhonestas nuptias: Deniq; acerbum est parentibus, uel contummi auctoritatem suam à liberis uel affici contumelijs ab ijs, qui furtim & ex insidijs abducunt ab eis liberos

Hæc atq; alia similia colliguntur ad comprobanda uetera iura, quæ dirimunt sponsalia sine auctoritate parentum facta. Sed nunc aliter pronunciat in foro pontificio: Non enim dirimuntur desponsationes factæ sine consensu parentum. Hic disputant quidam an sint firmæ rationes, cur ita nunc pronuncietur. An uero rectius esset uetera iura sequi & restituere. Quam ego disputationem modo prudens omitto, alio forsân loco fusius eam tractaturus.

Delibauî aliquot disputationes de iusticia, ut præparetur tenera ætas ad huiusmodi materias, & animaduertat in Philosophia fontes esse harum disputationum de iure & de moribus. Est autem de iusticia plus aliquanto disputationum quàm de ceteris uirtutibus, ideo deinceps tantum breuem catalogum uirtutum reliquarû addam, quas prodest quidem illustrare & amplificare oratione, sed id non

tam requirit subtiles disputationes quam Rhetorica ornamenta, ut earum magnitudo aliquanto magis conspici possit. Recitabo igitur has uirtutes, ueritatem, fortitudinem, temperantiam, modestiam, mansuetudinē, beneficentiā, amicitia, urbanitatem.

VERITAS.

Sit igitur prima Veritas. Apud Homerum ait Achilles, se perinde ut mortem odisse eos, qui aliud sentiunt, aliud loquuntur. Ac propemodū talia sunt Heroica ingenia, aperta, inimica simulationum, calumnijs & sophisticæ, & ut quæq; natura præstantior est, ita amantissima est ueritatis. Qua ex re intelligi potest, ueritatem esse conuenientissimam homini. Præcipitur autem hæc uirtus in Decalogo, in præcepto: Non dicas falsum testimonium.

Primum igitur uocabulum definemus. Nam ueritas hoc loco significat non noticiam, sed habitum uoluntatis, uidelicet, amorem ueritatis & simplicitatis in omnibus dictis & factis, in omni consuetudine uitæ, & odium acris simulationis, fucorum, sophisticæ, calumniarum, stropharum, & quicquid est huiusmodi artificiorum.

Causæ efficientes sunt duæ: Altera iudicium rationis, quæ intelligit Deum nobis præcipere amorem ueritatis, nosq; ad hoc conditos esse, ut in inquisitione rerum in ueritate acquiescamus, & in consuetudine uitæ uera pasciscamur & præ nobis feramus.

Præcipue

Præcipue uero ne nocendi studio fallamus eos quibus nocere non licet. Altera causa est uoluntas obtemperans huic iudicio rationis, ac propterea amans ueritatem, & fugitans fucos & mendacia.

Materia in qua, est uoluntas humana. Sed materia circa quam, uocatur obiectum.

Sunt autem triplicia obiecta circa quæ uersatur hæc uirtus. Primum doctrina seu artes. sunt enim ingenia quædam, quæ hanc summam laudem acuminis esse indicant, posse omnia recte dicta euertere strophis & calumnijs, serere nouas opiniones & prodigiosas. Sed sciendum est has sophisticas naturas monstruosas esse & distortas. Est igitur excellens uirtus in artibus & doctrina, amor simplicis ueritatis. Secundum obiectum, pacta & contracta, iudicia, testimonia. Tertium significatio uoluntatis erga alios, uidelicet esse candidum, non struere insidias, ingenue dicere cum opus est quod sentiat.

Forma est ipsa definitio seu res ipsa, uidelicet, habitus in uoluntate, qui est amor uerarum opinionum, & ueritatis in pactis & in moribus.

Causa finalis: Virtutes propter seipsas expetendæ sunt, scilicet quia conueniunt naturæ, ideo uirtus ipsa sibi finis principalis est, quemadmodum Philosophi de uirtute loquuntur. Sed est hoc quoque Philosophicum & pium, uirtutum finem principalem

constituere obedientiam erga Deum. Sit ergo finis ueritatis, ut Deo obtemperemus, qui præcipit ut amemus ueritatem. Deinde sunt fines plurimi minus principales, scilicet utilitates. Nihil enim nocentius est mendacio, falsa doctrina corrumpit religiones, mores, artes, nulla iudicia, nulli contractus extirpare possunt sublata Veritate.

Hi fines sunt magis conspicui, & non obscure testantur Veritatem necessariam esse in uita.


Pugnantia, Aristoteles suo more Veritatem collocat inter duo extrema, inter iactantiam seu simulationem, & dissimulationem. Ad quas species sane uitia pugnantia cum ueritate referri possunt, uidelicet uanitas seu studium mentiendi, arrogantia, qualis est Comœdia Thraſonis, hypocrisis in moribus, ut in impostoribus simulantibus religionem, aut perfidiosis amicis: item suspicacem esse, infideli, item calumniose deprauantem aliorum dicta & facta, Sophistica seu sycophantica, id est, studium captionum, calumniarum, in doctrina, artibus, negocijs, iudicijs. Hæ sunt præcipue pestes Ecclesie & Rerum publicarum.

Affinia Veritatis, amor doctrine, & studium inquirendi res bonas, simplicitas proprie significat ipsam ueritatem, hoc est recta, sine fucis, sine sophistica sentire, dicere & facere. Finis.

PHILIP.

PHILIPPI

MELANCHTHONIS COMMENTARIUS
 in Quintum librum Ethicorum Aristotelis,
 ab ipso authore recognitus, & in
 plerisque locis de integro con-
 scriptus.



VE MADMO-
 dum scribunt poëtae
 Iusticiam fugientem ex
 ciuitatibus, postea ali-
 quandiu ruri uixisse,
 ubi inter ceteros homi-
 num meliorum, pre-
 cepta honestae uitae
 tradidit. Ita uidetur hoc tempore pulsa ex impe-
 rijs & rebus. inter hos ciuiles motus, tantum in
 scholis delitere Iusticia. Ac iuris consulti quidem
 congestis maximis librorum aggeribus septam atq;
 inclusam custodire conantur. Sed illa magis amat
 philosophiae scholas, ubi non obstrepunt, tradenti
 honesta praecepta, forenses calumniae. Nos igitur
 confugientem ad nos iusticiam libenter excipiamus
 & religiose colamus, ne fugata undique terras pror-
 sus deserere cogatur. Concionatur autem nobis gra-

L 5 uissime

uisime in hoc libro Aristotelis qui continet absolutissimam descriptionem iusticie. Neq; simile quicquam extat scriptum, ubi uis et natura iusticie plinius et perfectius cognosci possit quam ex hoc libro: nullus Apelles potuit meliorem iusticie imaginem pingere, quam hic pinxit Aristoteles, quam si quis bene contemplatus fuerit experietur eam sibi magno usui fore in multis magnis et grauisimis rebus diiudicandis. Vocamus autem hic iusticiam, civilem illam quæ gubernat et continet hominum inter se societatem, quæ in uita necessaria est. Requirit autem hanc quoq; deus, et si alia quedam præter hanc civilem doctrinam tradit Euangelium. Iuris consulti multa præcepta mutuantur ex hac doctrina, quam hic tradidit Aristoteles. Verum hic sunt causæ et demonstrationes illorum præceptorum, quorum cognitio et utilitatem magnam habet in uita, et incredibilem uoluptatem homini ingenioso adfert. Delectat enim uidere explicatam illam in mente hominis æconomiam præceptorum, ordinem atq; consensum notarum, quæ nobiscum natæ sunt, et diuinitus nos uocant ad societatem hominum colendam et conseruandam. Nam hæc præcepta in natura scripta, et demonstrationes non minus sunt opera dei, quam illæ certæ leges motuum cælestium, certæ uices temporum, certi ortus atq; obitus syderum.

Et u

Et ut uere hic ait Aristoteles, iusticiam pulchriorem esse & hespero & Lucifero. Ita sicut aspectus syderis illius mirifice delectat homines, necesse est etiam homines capi huius doctrinae cognitione, in qua forma & pulchritudo iusticiae cernitur. Hæc in inicio præfati sumus, ut argumentum huius quinti libri Ethicorum indicarem. Hic enim describitur iusticia & traduntur eius species & magno opere iudicari referre, ut scirent lectores hanc rem nusquam melius tractatam esse. Quare hic libellus longe omnibus philosophorum scriptis de eadem re præferendus est. Et quia sæpe in uita de iusticia, de iure, dicendum est, plurimum ubiq; adiuuant nos hæc definitiones & partitiones, quæ hic ab Aristotele traduntur. Et omnes docti homines plurimum inde sumere solent in omni sermone & disputatione de iure. Itaq; diligenter hic libellus cognoscendus est.

Sæpe alias dixi Aristotelem optimum methodi artificem esse. Quare initio admonendus est lector de methodo. Valde enim prodest ita assuescere studiosos, ut quæcumq; se res obtulerit, statim in animo informare methodum negocij possint, & exemplis Aristotelis multum ea in re adiuuantur. In superioribus libris tradidit Aristoteles causas, de
fini

finitionem, species uirtutis & ordine aliquot uirtutes pertractauit, hic peruenit ad iusticiam, cuius instituit methodum in hoc quinto libro. Primum duo genera constituit, iusticiam uniuersalem & particularem. Deinde subijcit particulari species, iusticiam commutatiuam & distributiua. Postea ius quoque diuidit, quod uidelicet est noticia gubernans iusticiam. Aliud est ius naturæ, aliud lege constitutum, quod uocant ius positium. Deinde discernit iniurias consulto aut inconsulto factas. Postremo iusticia diuiditur in ius summum & *ἐπιεικεῖα*, in his locis consumitur totus quintus liber. Atque tituli indicant disputationes huius libri crebro usurpari in grauissimis negocijs. Quare plurimum homines eruditi hinc sumunt. Et si quis hoc modo seriem atque ordinem locorum in conspectu sibi posuerit, facile poterit totum hunc librum mente complecti.

TEXTVS ARISTOTELIS.

DE iusticia & iniusticia considerandum est, circa quales actiones uertentur & qualis mediocritas sit, iusticia, & inter quæ extrema iustum sit mediū. Sequemur autem in hac consideratione eandem methodū, qua supra usi sumus

SCHOLIA.

Hæc propositio est libri, in qua, sic ut in proponendo solet fieri, pollicetur quid dicturus sit, & quo ordine. Magis autem conspici propositio posset, si addita essent magnifica promissa & accessisset aliquid ornamentorum, sicut in poematis sunt propositiones magnificæ. Arma uirumq; cano Troiæ &c. Verum Aristoteles tenui & exili genere orationis utitur, Igitur interdum propter breuitatem effugiunt lectorem sententiæ. Est autem hæc sententia propositionis. In habitibus solemus quærere actiones & obiecta. Sicut ars pingendi habet actionem, scilicet pingere, ducere lineas, & uersatur circa imitationem corporum. Ita iusticia habet effectus uidelicet iustas actiones, habet & obiecta, cõtractus, delicta, pœnas. Et sicut in alijs uirtutibus uirtus in obiecto mediocritatem constituit, sicut fortitudo moderatur timores, ita iusticia moderatur cõtractus pœnas &c. Itaq; promittit Aristoteles se dicturum esse de actionibus obiectis & mediocritate iusticiæ. Et hic est uelut titulus libri.

Videmus autem omnes talem habitum uelle dicere iusticiam, quo sunt idonei homines ad iuste agendum & quo iusta agunt, & iusta expetunt. Econtra uero iniusticiam sentiunt esse, qua homines in

nes iniusta perpetrant & expetunt. Ideo
 & nobis hæc initio crasse dicta sint, pro
 futura ad cætera, quæ sequentur.

Inicio breuis quedam & puerilis descriptio no-
 minis iusticie ponitur, uidelicet quod iusticia sit,
 qua iuste agitur. Et ab hac descriptione ideo ordi-
 tur, ut ex consuetudine sermonis uenetur primam
 iusticie diuisionem, qua scilicet diuiditur in legiti-
 mam & particularem. Quia enim iuste agere, &
 iniuste agere multipliciter dicuntur, sequitur & in-
 iusticiam & iniusticiam multiplices esse. Et hæc uar-
 rietas facilius intelligi potest in malefactis, quam in
 rectefactis. Nam iniuste agere dicuntur non solū, qui
 defraudant in contractibus, ut qui in emptione, aut
 uenditione decipiunt, sed etiam qui aliās contra le-
 ges agunt, ut moechi, seditiosi, desertores ordinum.
 Cum igitur uarie appellemus iniustos, sequitur &
 iusticiam multiplicem esse. Nam ex collatione con-
 trarij reddit rem magis perspicuam. Sicut facilius
 iudicamus quid sit sobrietas, collatione ebriorum.
 Ideo subiicit Aristoteles generalia præcepta, unde
 cognoscantur habitus.

Non enim habet se res eodem mo-
 do in scientijs et habitibus. Eadē enim
 potencia efficit contraria, eadē scien-
 tia iudicat contraria, sed contrarius ha-
 bitus.

bitus non efficit contraria. Sicut a sanitate sana tantum fiunt, non contraria, sicut tantum illum sane ambulare dicimus, qui ambulat ut sanus. Itaque contrarius habitus sepe ex contrario fit conspectior. Interdum habitus cognoscitur ex obiectis. Nam cum constat quæ sit bona corporis habitudo, iudicari etiã potest, quæ sit mala habitudo corporis. Cognoscitur item bona habitudo ex his quæ efficiunt eam. Et rursus ex bona habitudine iudicari potest, qualia sint, quæ eam efficiunt. Nam si bona habitudo est carnis spissitas, necesse erit malam habitudinem esse raritatem carnis. Ea hoc efficit bonam habitudinem quod efficit spissam carnem.

Hic totus locus Dialecticum & generale præceptum continet, unde cognoscantur habitus, nec proprie pertinet ad Ethica, sed obiter inseritur, ita ut exemplum non interrumpat ordinem disputationis, & nihil habet obscuritatis, modo ut expendat lector quo consilio insertum sit. Quod cum animaduertit, plana erit Aristotelis oratio. Ideo autem addita est hæc quasi præfatio, ut admoneat lectorem

quod

quod diuerse significatiōes iniusticiae deprehēdi possint ex uarijs significatiōibus contrarij habitus, scilicet iniusticiae. Quia sepe accidit ut uirtus ex collatione contrarij magis conspici possit. Sicut quid sit sobrietas melius iudicari potest collatione ebrietatis: quid sit fortitudo, melius intelligi poterit, si quis cū Cesare sistente fugientem exercitum, cōtulerit Demosthenem fugientem ex acie. Primum autem confert Aristoteles inter se potentia, scientias, & habitus. Potentiæ inquit agunt contraria, ut eadem uoluntas potest recte & secus agere. Item scientiæ iudicant contraria, ut cum scimus quid sit sanitas, iudicare possumus quid sit ægrotudo, cum scimus Cesarem in germania esse, scimus eum non esse in Hispania. Sed habitus, tantum agunt uno modo, uno certo modo inclinant, ut habitus scribendi solutam orationem, non inclinatur ad scribendum uersus. Sanitas inclinatur ad sanas actiones.

Duo præcepta subiicit, quorum prius est, quod ex contrarijs habitibus contrarij habitus agnosci et iudicari possint. Sicut ex ebrietate sobrietas agnoscitur, ex poetica agnoscitur seu iudicatur qualis sit habitus, etiam solutam orationem scribendi. Ideo autem paulo altius exorsus est de potentijs, ut admoneret singulos habitus uno modo inclinare. Neque enim cōtrarius habitus ex contrario iudicari posset, si idem

si idem habitus haberet contrarias actiones.

Alterum præceptum est, quod etiam paulo post erit usus, quod habitus interdum agnoscantur ex obiectis, id est materia circa quam uersantur, ut medicina uersatur circa morbos, quaedam species iusticiæ uersatur circa leges, quæ reddit obedientiam legibus. Hæc est sententia huius totius loci. Et recensentur hic Dialectica præcepta, ut præparetur lector et admonetur quomodo inquirendæ sint iusticiæ species. Sæpe enim adiuuat collatio contrarij. Plerumque etiã habituum differentias sumemus ex obiectis. Cumque hæc generalia præcepta sæpe nobis usui esse possint, diligenter ea meminisse debemus. Nunc redit Aristoteles à generalibus præceptis ad præsens negocium.

Plerumque autem accidit, si alterum pluribus modis dicitur, & alterum pluribus modis dici, ut si iustum uarie dicitur, iniusta etiam erunt uaria.

Ac uidetur utraq; pluribus modis dici, iusticia & iniusticia. Sed quia uicinæ sunt significationes, uarietas non perinde cernitur, ut in alijs quæ habent significationes magno interuallo distantes, ubi diuersæ formæ efficiunt perspicuam differentiã, ut clauis dicitur & os iuguli in animantibus, & qua fores clauduntur.

Præfatio est. Quod & si utraq; multiplex sit, iusticiaet iniusticia, tamē subobscura est illa uarietas propter similitudinem specierū. Interdum enim eadem actio est iusticiae uniuersalis & particularis, ut nō defraudans aliū in contractu, obedit legi, ita obtemperat uniuersali iusticiae. Item soluit contrahenti quod debet, ita obtemperat particulari iusticiae. Ergo inquit obscurum discrimen est specierum, propter cognationem & similitudinem actionum. Alia $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\eta\mu\alpha$, habent significationes magis distantes, ubi ipsæ figuræ offerunt oculis discrimen, ut Aries significat pecudem & bellicum instrumentū. Talia inquit $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\eta\mu\alpha$ facile iudicari possunt. Sed inter species iusticiae exilis & obscura differentia est. Aristoteles utitur exemplo $\kappa\lambda\epsilon\iota\delta\omicron\varsigma$, quod significat clauem, instrumentum, & propter similitudinem, ossa quædam iuguli.

DE IUSTITIA VNI-
VERSALI.

I Sumatur igitur quod modis iniustus dicitur. Videtur autem significare iniustus & illum qui non obtemperat legibus, & illum qui defraudat alterū, nec reddit æquale. Hinc cerni potest, quod iniustus significet & eum qui legibus obtemperat

temperat, & eum qui reddit æquale,
Et iustū significat legibus obtemperare
& æquale reddere, Iniustū uero non ob
temperare legibus nec æquale reddere.

II Quod autem inter appellationes
iniusti *πλεονεκτης* est, hoc est qui plus
appetit, intelligi debet non de appeten
te plus bonorum cuiuslibet generis, sed
de appetente plus in bonis fortunæ,
quæ & si sunt re ipsa bona, tamen inter
dum alicui non sunt bona. Verum ho
mines optant & expetunt fortunæ bo
na, etiam ubi non oportet, sed debebāt
optare ea quæ re ipsa bona sunt, sibi quo
que bona esse, eligere autem tātum ea,
quæ ipsis bona sunt.

Deinde iniustus non semper eligit
id quod plus est, sed in malis, id quod
minus est mali expetit. Verum in ma
lis id quod minus malū est aliquo mo
do bonum dici solet. Itaque is quoq;
qui minus malum expetit, aliquo mo
do cēsendus est plus boni expetere, tam
etsi alijs nominibus rectius appellari
poterat, uidelicet, non seruans æqua
litate, & non obtemperans legibus.

Nam illud nomen, uidelicet, non seruans equalitatem, commune est, & multa complectitur, utrumque enim est non seruare equalitatem, plus auferre ac minus auferre. Et hæc duo sunt communia nomina, quæ omnes iniusticiæ formas complectuntur, uidelicet, uiolatio legum, & uiolatio equalitatis.

III Cum autem uiolans leges dicatur iniustus, & legibus obediens dicatur iustus, sequitur iusticiam esse, quidquid fit iuxta leges. Sunt enim certa officia descripta & constituta legibus. Hæc iusta esse aliquo modo sentimus.

III Leges autem de omnibus quæ ad publicam tranquillitatem pertinent discernunt, spectantes aut utilitatem communem, aut optinatum aut principum aut dignitatem uirtutis aut aliud quiddam. Itaque pariter omnia honesta officia eadem ratione appellamus iusta, quia leges omnia honesta officia complectuntur, cum omnia sint necessaria ad efficiendam, & conseruandam felicitatem & eius partes, in societate ciuili. Lex præcipit officia fortitudinis, ut
non

non deserere ordines, non fugere ex acie
 non abijcere arma, præcipit & officia
 modestiæ, ut non committere adulte-
 rium, non facere contumeliam, præci-
 pit & officia mansuetudinis, ut non uer-
 berare, non conuiciari. Similiter præci-
 pit de alijs uirtutibus & uicijs, alia impe-
 rans, alia prohibens, & recte leges recte
 constituunt, sed temere positę errant.

V Igitur iusticia uniuersalis, est omni-
 um uirtutum officia facere, sed id tunc
 dicitur iusticia, cum refertur ad alios.
 Nec simpliciter accipi debet sine pluriũ
 personarum collatione. Ideoq; sæpe
 præstantissima uirtutũ uidetur, adeo ut
 NEC HESPERVS NEC LVCI-
 FER EA FORMOSIOR SIT.

Et uulgo aiunt

Iusticia in se uirtutes continet omnes.
 Et ob hanc causam maxime perfecta
 uirtus est, quia usus est omnium uirtu-
 tum erga leges seu magistratus. Est enim
 illa demum perfecta uirtus, quam erga
 alios exercere quispiam potest, nec tan-
 tum resistit in ipso. Multi enim uirtu-
 tem habent, eaq; erga seipsos uti pos-
 sunt.

M 3 sunt.

sunt. Verum erga alios exercere uirtutem non queunt. Quare preclare dictū putatur a Biante, **MAGISTRATVS OSTENDIT VIRVM.** Nam magistratus uersatur in communi societate, & erga alios gerit officium. Ideoque sola iusticia uidetur plus cōducere alijs quam his qui eam exercent. Spectat enim ad aliud, ac agit & gerit ea quæ alijs profunt, uidelicet aut principi aut reipublicæ. Et ut deterrimus est is, qui erga sese & erga propinquos iniustus est, ita e contra optimus est, qui non erga se tantum, sed etiam erga alios uirtutem exercet, hoc enim difficile est. Hęc igitur iusticia non est pars uirtutis, sed uniuersa uirtus, & iniusticia contraria non est pars turpitudinis, sed uniuersa turpitudo.

Quid autem intersit inter hanc iusticiam & uirtutem, manifestum est ex his quæ diximus. Idem enim sunt, sed ratione quadam differunt. Quatenus enim spectat ad alium, iusticia dicitur, quatenus habitus in nobis est, uirtus dicitur.

In primo

In primo paragrapho recenset diuersas significaciones iniusticie, uidelicet quod iniustus dicatur eō muni consuetudine is, qui non obtemperat legibus, ut qui iussus non militat, nō soluit tributum. Altera significatio est, quod iniustus significat defraudantem alterum in contractu, & plus appetentem, hoc est eum qui plus conatur acquirere quam reddit illi cum quo contrahit, ut qui emens non soluit integrum precium.

Deinde ad eundem modum ponit significaciones iusti, uidelicet quod iustus significet obtemperantem legibus. Item reddendum æquale pro æquali in contrahendo. Hinc nascentur duæ species iusticie. Nam iusticia uniuersalis est obedientia erga leges. Dicitur autem uniuersalis, quia complectitur omnes uirtutes. Nam leges præcipiunt de omnium uirtutum officijs.

Secundus paragraphus leuem argutiam continet de uocabulo *πλεονεκτης*. Tria enim uocabula tribuit iniusto, *παρανομος*, *αυσιος*, et *πλεονεκτης*. *παρανομος* significat uiolantem leges, *αυσιος*, qui non seruat æqualitatem. *πλεονεκτης* qui plus appetit. Cū enim nō semper uiciosum sit plus appetere. Nō enim uiciosus est, qui plus doctrine appetit, addit huius uocabuli interpretacionem & dicit *πλεονεκτης* uersari, nō circa bona honesta

honestā, sed circa fortunā, bona ut circa diuicias, & imperia. Clarius hoc intelligetur, si dicimus $\pi\lambda\epsilon\omicron\upsilon\epsilon\kappa\tau\eta\mu$ uersari circa ea bona quæ alijs eripi solent, aut in quibus cū plus appetimus, alijs ledūtur ac damno afficiuntur. Nā si quis honestā bona appetat, ut doctrinam, nihil conatur alteri eripere, non lædit alterum, quare non potest iniustus dici.

Addit & aliam argutiā quod $\omega\lambda\epsilon\omicron\upsilon\epsilon\kappa\tau\eta\varsigma$ si significet interdum eum, qui non appetit plus boni, sed minus mali, ut qui mauult ex acie fugere, quam de uita periclitari pugnando, aut qui mauult prode re presidium quam mori. Sed hanc particulam rursus corrigit, dicit enim in comparatione minus malum, propemodum bonum uideri. germanis $\pi\lambda\epsilon\omicron\upsilon\epsilon\kappa\tau\eta\mu\epsilon\alpha$ significat ein uorteil. $\pi\lambda\epsilon\omicron\upsilon\epsilon\kappa\tau\eta\varsigma$ ein uorteilhaffigen, unde facile intelligi potest quid significet plus appetens, quod nos ita uertimus, quia latinum uocabulum proprium non habemus, quod quidem huic loco conueniat. Alibi enim uerti $\omega\lambda\epsilon\omicron\upsilon\epsilon\kappa\tau\eta\mu$ qui defraudat alterum, id et si rectum erat hic quoque, tamen erat obscurius.

Addit autē Aristoteles, sicubi nomē $\pi\lambda\epsilon\omicron\upsilon\epsilon\kappa\tau\eta\varsigma$ non uidetur conuenire, utendū esse alijs appellationibus cōmuniōribus, uidelicet $\alpha\upsilon\iota\omicron\omicron\varsigma$ aut $\pi\alpha\pi\alpha\epsilon\upsilon\omicron\mu\omicron\varsigma$. Hæc enim duo facit paria et dicit latiss. patere, et cōplecti omnes formas seu modos iniusticiæ.

Hæc

Hec est simplex & germana sententia huius loci.

Tertius paragraphus, tradit conclusionem de iusticia uniuersali, quod iusticia uniuersalis sit obedientia erga leges. Nec potest alia aptior definitio iusticiae uniuersalis concipi.

Quartus paragraphus, reddit rationem, quare obedientia erga leges dicatur iusticia, quia ea quae legibus constituta sunt, iusta dicimus, propterea quod iustum est communem societatem conseruare. Natura enim homines debent inter se mutua officia. Illa igitur societatis conseruatio iusta est, quare debita & iusta sunt quae legibus constituta sunt, tanquam necessaria ad retinendam societatem comunem.

Deinde dicitur uniuersalis, quia leges praecipunt de omnibus honestis actionibus, leges enim student conseruare societatem humanam. Et ad hanc retinendam honestae actiones omnis generis necessariae sunt, leges igitur complecti omnes uirtutes student, quare & obedientia erga leges complectitur omnium uirtutum officia,

Admonet autem in fine, quatenus aliarum uirtutum officijs iusticiae appellatio tribuatur, scilicet quatenus referuntur ad alios, ad communem societatem aut magistratum, seu quatenus persolunt obedientiam legibus seu magistratui, seu naturali iuri societatis humanae debitam.

Aud Paulum, cum dicitur: homines fide iustos pronunciari, necesse est iustum exponere tantum re latiuè, pro eo qui est acceptus deo, & iusticiam pas siue reputationem iusticiæ, seu acceptationem, nisi quis ita uelit dicere, iusticiam significare obedientiam erga Euangelium seu promissionem dei, quod etsi uidetur belle dici, tamen aliquid habet incommodi. Ceterum iusticia legis rectè quadrat ad hanc uniuersalem utilem iusticiã, iusticia enim legis uere significat obedientiã erga deum, iuxta omnia præcepta. Et iustus secundum legem obedientem deo iuxta omnia præcepta.

Postremo additum est encomium huius uniuersalis iusticiæ, scilicet quod sit perfectissima uirtus. Et recitatur egregia ratio, quia sit usus aliarum uirtutum, confert enim alias uirtutes ad communem societatem. Usus autem uirtutis erga alios, maximeq; erga rempublicã est perfectissimus ac difficilimus. Ad id citat sententiam Biantis, Magistratus ostendit uirum. Nam in magistratu cerni potest an aliquis conferat suas uirtutes ad priuatam utilitatem, an ad publicam uel communem.

DE IUSTICIA PARTI
CVLARI.

Quærenda est autem & iusticia quæ est pars uirtutis. Est enim eiusmodi quædam

dam iusticia, ut diximus. Est & iniusticia quaedam particularis, ut signa testantur. Nam qui peccat in alio genere, etiamsi dicitur iniustus esse, tamen proprie non defraudandi studio, neque hoc sine ut alteri noceat, peccat, ut qui propter metum abiecto clipeo fugit, aut qui iratus conuiciatur, aut propter illiberalitatem non largitur gratis pecuniam. At cum aliquis defraudat alterum, idque non facit propter illa uicia, quae recensui, hunc uituperamus propter iniusticiam. Quare sequitur paculiare quoddam uitium esse iniusticiam, & iniustum particulare quoddam praeter iniusticiam illam uniuersalem, quae complectitur omnia quae legibus aduersantur. Nam si quis lucri causa committit adulterium et pecunias accipit, Anus autem aliqua det pecuniam, ac damnnum faciat propter libidinem, haec libidinosa magis dicitur quam alieni cupida, ille autem dicitur iniustus, non libidinosus, & constat eum iniustum dici propter lucrum.

Item alia delicta omnia referuntur ad certam

certam speciem uitiorum, ut adulteri-
um ad incontinentiam, deferere aciem
ad timiditatem, pulsare aliquem ad ira-
cundiã. Sed si quis lucratus est, ad nullũ
uitium nisi ad iniusticiam refertur. Qua-
re perspicuum est, præter totam illam in-
iusticiam, quæ omnia uitia complectitur
aliam quandam certam speciem esse,
quæ mutuatur nomen generis, quia de-
finitio ex hac parte conuenit, quod utra-
que alijs debet quiddam reddere. Sed
iniusticia particularis, honores, pecuni-
am, salutem, aut similia fortunæ bona
aliorum, interuerrere conatur, & captat
lucrũ. At iusticia uniuersalis circa omnia
uersatur, circa quæ bonus uir uersatur.

*Incipit particularem iusticiam tractare. Et hic
locus adeo planus est, ut non habeat opus longis
commentarijs. Tantum commonendus est lector,
quid agat Aristoteles. Tantum enim instituit hic
questionem, An sit, Ratiocinatur enim per enume-
rationem, quod iusticia sit quædam certa species uir-
tutis, præter uniuersalem iusticiam, distincta ab alijs
uirtutibus. Et ratiocinatur hoc modo ex contrario,
quod est conspectus. Est delictum quoddam circa
lucrum quod iniusticia uocatur, distinctum à delictis
aliorum*

aliorum uiciorum . Quare necesse est peculiarem quandam speciem uirtutis iusticiam esse, distinctam ab alijs uirtutibus. Cum autem hæc species non cõplectatur omnes uirtutes, tantum uersetur circa lucrũ, sequitur eam distinctam etiã esse à iusticia uniuersali.

Addit exempla in quibus apparet distincta esse delicta iniusticiæ à delictis aliorum uiciorum. Qui deserit aciem peccat contra fortitudinem, qui uerberat alterum, peccat contra mansuetudinem, qui committit adulterium, peccat contra continentiam. Lucrari autem cum damno alterius peculiare delictum est, non offendens illas uirtutes, quas iam recensui, & hoc uocatur iniusticia. Ergo sicut alia uicia sunt certæ species distinctæ ab iniusticia uniuersali, ita necesse est hanc iniusticiam uersantem circa lucra, distinctam esse ab iniusticia uniuersali. Aristoteles est usus exemplo illustri, ubi apparet actionem alioqui propriam incontinentiæ in alio genere uersari, propter alium finem, ut si quis lucri causa committit adulterium, hunc ait non dici proprie libidinosum, sed iniustum & aliena rapientem & interuertentem. Ad hunc modum per enumerationem deprehendit, quoddam peculiare delictum esse iniusticiam, quæ circa lucra uersatur. Atq; ita constituit questionem, An sit, & ostendit quandam esse peculiarem iusticiam distinctam ab uniuersali.

Addit

Addit etiam, quare hæc uirtus, quæ circa contractus & lucra uersatur, mutuetur nomen generis scilicet iniusticiæ, nec habeat peculiare nomen, sicut aliæ uirtutes peculiaria nomina habent, quia inquit, est similis generi, semper enim exercetur erga alios. Id autem supra dixit, iusticiæ proprium esse, obiectum autem est lucrum, seu bona fortuna, seu bona externa, seu contractus.

Constat itaque iusticiam duplicem esse, & quandam particularem esse præter illam quæ omnes uirtutes complectitur. Nunc dicendum est quæ sit & qualis. At supra definiuimus iniustum duplex esse, nam alias non obedire legibus iniustum dicitur, alias inæquale dicitur iniustum. Et e contra iustum est aut quod legitimum, aut quod æquale est. Porro Iniusticia uniuersalis de qua diximus, est non obtemperare legibus.

Sed inæquale & non parere legibus non sunt paria, sed alterum habet se uelut pars ad totum: Nam quisquis non reddit æquale, facit contra leges. Econtra uero non omnis qui contra leges agit, reddit inæquale. Quisquis enim plus expetit, non reddit æquale. *Caeterum*

terum non omne inæquale plus est. Non igitur eodem modo iniustum & iniusticia dicuntur, sed alias sumuntur ut partes, alias ut tota, quædam enim iniusticia pars est totius iniusticiae, & quædam iusticia pars est totius iusticiae.

Dicendum est igitur de hac particulari iusticia & particulari iniusticia, item de iusto & iniusto. Est autem iusticia uniuersalis omnium uirtutum usus erga alios. Iniusticia uero uniuersalis est usus omnium uitiorum erga alios, sed hæc prima species nunc relinquatur. Quæ enim iusta & iniusta sint in his, facile iudicari potest. Nam leges continent uerè omnium uirtutum officia, et præcipiunt uincere iuxta singulas uirtutes, & prohibent omnia uitia. Illæ enim leges quæ de publica disciplina ciuium latae sunt, eò spectant, ut ad omnium uirtutum officia ciues assuefiant. Cæterum de singulorum disciplina, quæ priuatim bonos uiros efficit, utrum eadem sit cū publica disciplina, an alia quædã sit disciplina, postea dicendum est, fortassis enim non eadem
conuen

conueniant omnino, uito priuatam ui
tam agenti et uersanti in republica.

Transitio est *ἔπαροξενῆ* ad particula-
rem iusticiam, ait enim se hactenus de uniuersali di-
xisse, *ἔ* quidem in fine quasi epilogum quendam
addit disputationi, de uniuersali iusticia. Repetit au-
tem diuersas significaciones iusticiae, ut in illo ipso
discrimine ostendat, quomodo particularis iusticia
sit angustior, quam uniuersalis, *ἔ* uelut pars illius.

Res quae hic traduntur plana sunt, sed mira est
sermonis exilitas, quae facit, ut hic locus subobscu-
rus uideatur.

Non parere legibus inquit, lacius patet, quam
non reddere aequale, quia omnis qui defraudat al-
terum in contractu, uiolat leges. At non omnis ui-
olatio legum est defraudare in contractu. Ergo de-
fraudatio pars est uiolationis legum, non contra.
Hoc exemplo ostendit iustum illud, quod legum obe-
dientiam significat, latius patere, quam hoc quod si-
gnificat aequalitatis conseruationem in contrahendo.
Ut stuprator iniustus est quia committit in leges, non
est iniustus hoc nomine, quod non reddat aequale.
Interest igitur aliquid inter has appellationes iu-
sticiae, et est quoddam particulare iustum, non tam la-
te patens, quam illud iustum, quod omnium legum
obedientiam continet. Verba quae sequuntur sic fa-
tis

tis exercent interpretes. τὸ μὲν γὰρ ἀνισορ
 ἄπειρ, παράνομος. Τὸ δὲ παράνομος οὐχ
 ἄπειρ, ἀνισορ. Hæc plana sunt quisquis non red
 dit æquale, uiolat leges. At econtra non omnis qui
 uiolat leges, defraudat, ut stuprator uiolat leges, ne
 q̄; tamen hoc nomine dicitur iniustus, quod defrau
 det eam quam inuitatus comprimit. Atq̄; hæc uer
 ba ad præsens propositum apta esse nemo non ui
 det. Sed quæ sequuntur quo spectent, diuinant in
 interpretes. Τὸ μὲν γὰρ πλεον ἄπειρ, ἀνισορ.
 Τὸ δὲ ἀνισορ ἢ πᾶρ, πλεον. ego existimo allu
 dere eum ad ea quæ supra dixit de πλεονεκτηῖα,
 ac interpretari quod dixerit ἀνισορ uidelicet il
 lud ἀνισορ iniustum esse, quod πλεον est, hoc
 est, quod habet πλεονεξίαν, seu cum plus lucri
 auferre, & nocere alteri studemus, quasi dicat, il
 lud ἀνισορ hic intelligo esse iniustum quod πλεον
 est. Ceterum est aliud ἀνισορ quod non est uitio
 sum. Nam ille qui minus aufert, qui decipitur, qui de
 fraudatur, nihil peccat. Hæc mihi uidetur esse
 simplicissima sententia. Neq̄; uero ignoro quid alij
 interpretentur, quos si quis sequi mauult, querat
 eorum sententiam in ipsorum libris. Ego enim non
 ideo tantum omitto, quod nihil uidetur ad rem fa
 cere, sed etiam ne commemoratione multarum opi
 nionum reddatur obscurior Aristoteles. Hoc enim

ago non ut subtilitate uincam argutissime ac tenuissi-
me dicta ab Aristotele, sed ut ad communē consuetu-
dinem, accommodem, in qua cum exempla nota &
uulgaria reperiūtur harum tenuium sententiarum,
fient ipsæ quoq; quasi pleniores, ut cerni ac teneri
possunt, postquam res demonstratæ sunt, quæ sub-
sunt illis argute dictis. Dixi additum esse Epilo-
gum de uniuersali iusticia, in quo hoc uel præcipue
meminisse studiosus lector debet, quod de origine &
officio legum dicitur. Videlicet leges sumi ex omni
uirtutum natura, & debere eas assuefacere homi-
nes ad omnium uirtutum officia. Etenim non solum
uitæ tranquillitas, sed multo magis honestas legum
finis esse debet.

DIVISIO IUSTICIAE PAR-
ticularis in distributiua &
commutatiua.

Iusticiæ autem eius quæ pars est &
iusti particularis altera species est in di-
stributione uel honoris uel pecuniæ,
uel cæterarum rerum, quæ diuidi possunt
sunt inter hos qui in eadem republica
uersantur. Inter hos enim accidit ut ci-
uis collatus ad ciues auferat aut inæqua-
lem partem aut æqualem.

Altera

II Altera uero species emendat contractus, cuius duæ sunt partes. Nam alij contractus sponte contrahuntur, alij non contrahuntur sponte. Tales autem sponte contrahuntur, ut uenditio, emptio, mutuatio, pignoratio, commodatio, depositum, locatio. Et dicuntur sponte contrahi, quia totum principium eorum uoluntarium est, cum utriusque partis consensu constituuntur.

Quæ autem geruntur, aduersus iniustos, aut clam fiunt, ut furtum, adulterium, ueneficium, lenocinium, plagium, cædes clandestina, falsum testimoniū, Alia sunt uiolenta, ut uerberatio, uincula, cædes, rapinæ, mutilatio membrorum, conuitia, contumeliæ &c.

Tandem peruenit ad diuisionem iusticiæ particularis. Ponit duas species, prior est distributiuæ, qua pro uarietate meritorum alia præmia, aliæque poenæ distribuuntur. Altera est commutatiua, quæ uersatur circa contractus & circa damna pugnantia cum legitimis contractibus.

Quidam somniant solam distributiuam iusticiam ad magistratus pertinere, ac ne quidem usui esse priuatis. Commutatiuam uero neque in iudi-

cijs, neq; in pœnis neq; præmijs consuli, sed tantum priuatorum esse in cõtractibus constituen- dis, Sed longe aliter sentiendum. Nam utraq; specie utuntur, tum magistratus, tum priuati. Iudex cum non comparat inter se gradus iniuriarum, sed tantum æstimat damnum, & quomodo damnum sarciatur, consulit commutatiuam iusticiam, sicut homo priuatus in uenditione mercem æstimat et precium pro merce flagitat. Ideo Aristoteles hic recenset iniurias inter exempla commutatiua, & aliquoties postea proponit exempla iudicum, quos iubet pronuntiare iuxta commutatiuam iusticiam, de sarciendo damno.

Tunc autem consulit Magistratus distributi- uam iusticiam, cum multiplices iniurias aut merita inter se comparat, & gradus constituit merito- rum, ad quos postea gradus præmiorum & pœna- rum accommodat. Vtraq; igitur species Magistra- tui tradenda est. Cum in pœna furti tantum estimatur damnum lesæ personæ, pœna non erit Capita- lis, quia damnum non erat capitale. At cum gra- dus iniuriarum et pœnarum constituuntur, multæ sunt comparationes. Pœne infliguntur, non pro- prie ad sarcendum damnum, sed ut metu contine- antur homines. Et quia leues pœnæ non absterrent homines feroces, pro natura hominum pœnæ du- riores

riores aut leuiores constituendæ sunt, sicut medicus naturæ ægrotantium pharmaca attemperat.

Itaq; constituitur gradus, scilicet pœna leuis in ea delicta, quæ uidentur aliquo modo prohiberi posse leui pœna. Constituitur capitalis pœna in ea delicta, quæ aliter non possunt prohiberi inter homines feroces. In tanta audacia nostrorum hominum aliæ pœnæ furti præter capitalem prorsus irriterentur. Ideo etiam si gentes mansuetiores, habuerunt mitiores pœnas, tamen nostris hominibus propter barbariam opus est durioribus pœnis. Ita iudex, utitur comparatione in distributiua iusticia, sicut postea latius dicemus.

Est & priuatis utrâq; iusticia tribuenda. Commutatiuam esse œconomicam nemo non uidet, regit enim cõtractus, emptiones, uenditiones. At hi cõtractus maxime necessarij sunt ad œconomiam. Priuati utuntur distributiua iusticia, cum gradus officiorum erga parentes, liberos, amicos, hospites, honestos, plebeios, obseruant, aut alioqui distribuunt pro porporcione ex certo rerum cumulo.

Cum autem iniustus sit, qui non reddit æquale, & iniustum inæquale, necesse est & medium quoddam existere inter inæqualia. Id autem est quiddam æquale. Nam ubi plus & mi-

pus reperiuntur, deprehendi & aliquid æquale necesse est. Cum igitur iniustum sit inæquale, sequitur iustum æquale esse. Hæc adeo perspicua sunt, ut longiorem disputationem non desideret.

Vaserrime uenatur, quod medium in hac uirtute sit quoddam æquale. Supra enim ostensum est, quod iniustum sit inæquale. Inæquale autem est aut maius, aut minus. Cum autem uirtus in medio sit, necesse est medium æquale quiddam esse. Nam inter plus & minus seu maius, nihil dicitur medium nisi æquale. Hoc sensus communis omnes homines docet, quod si quid metientes mensuram maiorem iusto, & mensuram minorem iusto deprehendimus, deprehendi etiam posse mensuram æqualem, quæ scilicet sit longior minore, & breuior maiore, sic reperitur æqualitas.

DE OBIECTIS IUSTITIAE.

Cum autem æquale inter plus & minus mediū sit, sequitur & iustum mediū quiddā esse. Deinde æquale comparatio duorum est. Itaque iustum, cum & medium quiddā sit, & æquale relative se habet ad aliud & erga alios.

Quatenus enim medium est, uersatur inter plus & minus, quatenus æquale est

est æquali, uersatur circo duo paria, qua tenus iustum est, respicit alios.

Uersatur igitur iustum circa quatuor, uidelicet circa duas personas, & circa res duas. Aequalitas autem & rerum et personarum constitui debet, quod si non fiat, pares non habebunt paria. Verum existunt bella & contentiones, cum aut pares non consequuntur paria, aut impares paria consequuntur. Idque hinc apparet, quod omnes constituentur in honoribus distribuendis, secundum dignitatem eos distribui debere. At dignitas æstimatur alibi aliter. Nam ubi populus imperat summa dignitas est libertatis, ubi pauci, summa dignitas tribuitur opibus aut nobilitati, uerum in optimo statu reipublicæ summa dignitas est uirtutis.

Supra ostendit medium in hac uirtute aequalitatem quandam esse, uidelicet inter plus & minus, nunc querit obiecta iusticiæ, circa quæ uersatur. Et docet iusticiam uersari circa comparationem duorum æqualium, quia antea ostendit aequalitatem esse medium iusticiæ, & æquale relatiuum est, necesse est igitur duo æqualia conferri.

Deinde addit *et* personas, quod uersetur circa duas personas, quia iustum, sicut supra ostendi, semper respicit alium, cui debitum redditur, seu res, seu officium. Concludit igitur de obiectis, quod sint due res æquales, *et* due personæ. Probat autem quod diuersitas personarum consideretur, quia in rebus publicis diuersa præmia constituuntur iuxta diuersam rationem dignitatis. Et obiter addit dignitatem alibi aliter æstimari. Vulgus in ciuitatibus corruptis nihil pluris facit libertate, seu potius licentia, sicut seditiosi homines simulant se libertatem uindicare. Alibi summa dignitas tribuitur opibus, aut nobilitati. Boni autem tribuunt summam dignitatem uirtuti. Hic iterum admonendi sunt studiosi, ut methodum obseruent, quam prudenter collegat partes definitionum, quæ sequentur. Hic primum quærit medium prorsus mathematicæ, deinde obiecta, uidelicet res *et* personas.

DE DISTRIBUTIVA IUSTICIA

Iustum igitur uersatur in comparatione proportionum. Proportio autem est non numeri tantum, sed omnium quantitatum. Nam proportio est similitudo rationum inter se, uersatur autem in quatuor terminis.

Ac de

Ac de discreta proportione manifestum est, quod in quatuor terminis uersetur. Sed continua repetit medium terminum, ut sicut se habent 8 ad 4. sic se habent 4 ad 2. Bis igitur sumitur quaternarius. Ita quatuor erunt termini, qui inter se conferuntur, quia quaternarius repetitur.

Quia supra partitus est iusticiam particularem in distributiua & commutatiua. Deinde ostendit medium æqualitatem esse. Admonuit item, cum sit æqualitas, necessario comparationem fieri plurium. Itaque cum & rerum & personarum fiat collatio, necesse est proportiones incidere. Nunc igitur ex proportionibus discernit species illas, distributiua & commutatiua. Prudenter autem excogitauit duas species, quia interdum tantum quæritur æqualitas mercis et præcij, interdum comparantur gradus, ut in præmijs & pœnis. Nam in contractibus tantum consideratur rerum æqualitas, ut pannus uenditus principi, non uenit pluris aut minoris quam priuato. At in præmijs, pœnis, honoribus, supplicijs, necesse est gradus quosdam comparare. Non igitur sine causa discernit species iusticiæ. Commutatiua est uerius œconomica, quæ nihil nisi prætia rerum considerat, cum reddimus præ-

cium pro merce. Nec mercium gradus facimus, sed tantum merces & damnum, quanti sarcendum sit conferimus. At distributiva non solum confert merces & precium, sed etiam gradus ipsarum rerum ex circumstantijs constituit. Id quoniam magis fit in distributione premiorum & poenarum, hæc species uidetur magis politica & gubernatrix esse. Cæterum ut ante dixi utraq; & priuatim & publice utendum est. Sed hoc discrimen posui, ut earum usus clarius conspici posset.

DESCRIPTIO IUSTITIAE
distributivæ.

Iustum autem versatur in quatuor terminis, quorum similis est proportio. Nam qua proportione distant inter se personæ, eadem distant inter se & res, uidelicet sicut se habent 10. aurei ad 5. ita se habet Achilles ad Aiacem. Ergo permutata proportione, sicut Achilli dantur 10. ita Aiaci competent 5. Itaq; totum ad totum habet similem proportionem, iuxta quâ distributio paria paribus accommodat. Et cum ita componit, iuste accommodat, quare accommodat.

commodatio 10. ad Achillem, & 5. ad Aiacem, in distributione iustum est. Et iustum medium est, uidelicet si respiciatur ad illa, quæ non quadrabant pro proportione. Nam id dicitur hic medium, quod quadrat pro proportione. Iustum autem tale medium est, quod pro proportione quadrat.

Vocant autem hanc comparationem proportionum mathematici geometricam. Nam in geometrica comparatione accidit ut totum ad totum conferatur, sicut pars ad partem.

Porro hæc non est continua proportio, non enim est idem terminus medius, sed sint duo termini. Quare hoc iustum est, quod quadrat pro proportione, illud iniustum est, quod non quadrat pro proportione.

Fit igitur plus & minus, quod in actionibus apparet. Nam qui iniuriam infert, plus habet, qui autem accipit iniuriam minus habet boni. Econtra uero in malis. Nam minus malum habet boni rationem, si conferatur ad maius

maius malum. Nam minus malum potius eligendum est, quam maius. Porro quod eligendum est, bonū est, & quod potius eligendum est, uidetur maius bonum. Et de altera iusticiæ specie hæc tenus dictum est.

Dixi supra duas species iusticiæ complecti uniuersum ius hominum. Altera est distributiua, quæ pœnas & præmia & omnia officia cum comparatione quadam personarum & graduum distribuit. Commutatiua est quæ mercedem & precium, damnum & lucrum sine comparatione aliarum circumstantiarum considerat.

Cum autem in distributiua fiat comparatio graduum, ut delictum quod prohiberi ciuili pœna potest, non est capitale delictum, quod non potest prohiberi pœna ciuili, est capitale. Furtum in natione mansueta quæ alioqui multis uinculis cohercetur, potest ciuili pœna prohiberi, apud feroces homines non potest ciuili pœna prohiberi. Igitur fit comparatio. Atrocius delictum atrociori pœna coherceri debet. Furtum germani est delictum atrocius quam furtum Iudæi, Nam hæc ferocissima natio germanica non patitur se leuibus uinculis coherceri. Ad hæc fures germanici latrocinandi uoluntatem habent, omnes enim inter furandū simul de ui cogitant,
 si depre

si deprehendantur. Igitur furtum germani non civili
pœna, sicut iudaicum, sed capitali pœna prohiberi
necesse est.

Hanc collationem Aristoteles in distributiua ius-
ticia requirit. Commutatiua tantum duo comparat.
At distributiua requirit comparationem termino-
rum, ut furis iudei & furis germanici, pœnæ ciuilibis
& pœnæ capitalis.

Itaq; docet hic Aristoteles iusticiam distributi-
uam sumere medium iuxta proporcionem geometri-
cam, id est metiri gradus ac medium ac cōueniens
tem formam constituere iuxta proporcionem geome-
tricam. Sicut medicus quærit proportionem in dosi
ita ut alijs corporibus aliam dosin distribuatur. De-
prehendit igitur conuenientem dosin collatione.

Neesse est autem hoc loco obiter exponere quid
sit proportio geometrica, quid Arithmetica propor-
tio. Proportio est duarum quantitatum inter se ha-
bitudo. 4. ad .2. est proportio dupla. Nonnulli pro
uocabulo proportionis rationem dicunt. Vulgo in
scholis aliud uocant proportionem, aliud proportio-
nalitatem. Vocant igitur proportionalitatem compo-
sitionem seu similitudinem duarum proportio-
num, ut sicut se habent. 4. ad .2. ita se habent. 8
ad .4. Quia ubiq; est proportio dupla. Et hoc quod
uocant proportionalitatem diuiditur in geometri-

cam & Arithmeticam. Nos ueterum more pro proportionalitate dicemus proportionem.

Proportio geometrica est, cum tribus aut pluribus terminis dispositis seruetur æqualitas proportionum, etiamsi numeri inter se non excedant, neq; excedantur pariter, Ut 1. 5. 9. si conferuntur proportione tripla, sicut se habent 9. ad 3. ita se habent. 3. ad 1. Clare autem hic cernitur quod medius limes neq; excedat, neq; excedatur pariter.

Proportio Arithmetica, in qua tribus aut pluribus numeris dispositis medius à proximis pariter excedit & exceditur, ut. 1. 2. 3. hic unitate superat medius & superatur. 3. 5. hic binario superat medius & superatur. 2. 5. 8. hic ternario superat medius & superatur. Ita medius pariter & indui sibi liter distat ab extremis.

PROPORTIO DISCRETA & continua.

Est & alia quedam diuisio proportionis cuius hic mentionem facit Aristoteles, quod proportiones aliæ sunt discreta, aliæ cōtinua. Discreta est in qua limites quatuor expresse ponuntur, aut sicut se habent. 4. ad 2. ita se habent. 10. ad 5. Cōtinua proportio est, in qua tantum tres limites ponuntur, sed ita oportebit repeti medium in comparando, alioqui

alioqui enim non posset existere duarum proportionum collatio, ut 8. ad 4. 2. Sicut se habet. 8. ad. 4. ita se habent. 4. ad. 2. Hæc Aristoteles ideo commemorat, ut facilius declarare possit iusticiæ species. Nam in distributiva iusticia non habet locum proportio continua. Sunt enim duo limites rerum, & duo personarum constituendi, qui non pariunt continuam proportionem &c.

DE PERMUTATA
proportione.

Permutata proportio dicitur cum in argumentando ex proportione efficiamus consequens permutatis terminis, ita ut in consequente primus terminus ad tertium conferatur, secundus ad quartum, ut hic sicut se habent. 2. ad. 1. ita se habent. 8. ad. 4. Ergo sicut se habent. 2. ad. 8. ita se habent. 1. ad. 4.

Hæc forma argumentandi ualet in geometrica proportione. Ideo sola geometrica proportio quadrat ad iusticiam distributiuam. Nam in distributiva iusticia utendum est permutata proportione, qua primum res conferantur, postea personæ. Deinde cuilibet personæ suæ res accommodandæ sunt. Ergo necesse est permutari terminos. Nunc igitur facile intelligi potest consilium Aristotelis, quare medium iusticiæ distributiue sumi uelit proportione geometrica, quia cum sint gradus meritorum

& delis

et delictorum, necesse est et gradus esse præmiorum et poenarum. Hos gradus obseruare iudicem, et conferre necesse est.

Hæc autem collatio fit ratiocinando ex permutata proportione, res enim primum considerantur, deinde et personæ, postea fit permutatio terminorum. Nam cuiuslibet personæ suæ res accommodantur. In præmijs, ut sicut se habent 5. ad 10. ita se habet Ajax ad Vlyssem. Ergo sicut Aiaci 5. dantur. ita Vlysi. 10. competunt, uidelicet tãto maius præmium, quanto præstant Vlysis merita meritis Aiacis. Atq; ita iudicauit Græcus exercitus, cum Vlysem Aiaci prætulit. Valet idem argumentum in pœnis. Sicut se habet cõuiciu ad ciuilem pœnam, ita se habet homicidium ad capitalem, sed conuiciu plectitur ciuili pœna, igitur homicidiu capitali pœna plectendum est.

Aristoteles in textu inquit: Sicut partes inter se comparantur, ita totum ad totum comparari dicit. Partes uocat singulos terminos, ut cum res ad res, personæ ad personas conferuntur, hoc fit in antecedente. Totum autem uocat personam et rem simul. Porro in consequente confertur totum ad totum, scilicet quod si iustum est, ut Aiaci dêtur 5. necesse sit plus dari Vlysi.

Postremo admonet hic Aristoteles medium dici,
quod

quod pro proportione conuenit alicui, hoc est quod in collatione circumstantiarum & aliarū personarum conuenit, et sic medium uocat equalitatem, non quod æquales numeri singulis personis competant, sed quod proportio similis sit, sicut Paulus dixit inter christianos debere equalitatē esse, uidelicet geometrica proportione, nō arithmetica, hoc est ut principes habeant pro sua proportione longe plura quam priuati homines. Sicut enim differunt persone, ita rerum diuisionem pro personarum uarietate aliam fieri necesse est.

DE IUSTITIA COMMUNITATIUA.

Reliqua est altera iusticiæ species, quæ corrigit ea quæ homines inter se aut sponte, aut inuiti contrahunt. In quibus rebus iustum aliam quandam speciem habet, quam priorem. Nam distributiuā iusticia est, quæ ex communi iuxta proportionem, quam dixi, distribuit. Cum enim ex communi pecunia distribuit, fit hoc iuxta proportionem, quam gradus meritorum inter se habent. Econtra iniustum est quod cum non quadret secundum proportionem,

tionem, cum hoc genere iusticiæ pugnat.

At iustum in contractibus quiddam æquale est, iniustum uero est inæquale, at non secundum proportionem illam, sed Arithmeticam. Nihil enim interest, utrum homo nobilis ignobilem defraudauerit, an ignobilis nobilem, aut, utrum nobilis commiserit adulterium, an ignobilis. Sed lex tantum considerat differentiam damni, & iudicat eos pares esse, siue cum iniuriam faciunt, siue cum accipiunt, siue cum damno afficiunt, siue damnum accipiunt.

Itaq; iniustum, cum sit inæquale, conatur æquare iudex. Quando enim alius percussus est, alius autem percussit, aut alius cædem fecit, alius autem interfectus est, delictum & damnum discernuntur tanquam inæqualia. Conatur igitur tantum lucri adimere, quantum est damnum, ut fiat æqualitas. Utendum enim hic est appellatione lucri & damni, & si non proprie dicitur lucrum si quis percussit, aut damnum, si quis percussus

percussus est. Verum cum hæc iniuria æstimatur, alterum damnum dicendum erit alterum autem lucrum.

Quare æquale inter plus & minus in hac uirtute medium erit. Lucrum enim habet se uelut plus, & damnum contrarium illi habet se uelut minus. Lucra sunt plus boni & minus mali, contraria uero damna sunt. Cumq; inter hæc medium sit æqualitas, æquale iustum est. Quare iustum illud quod contractus corrigit querit medium inter lucrum & damnum.

Ideo & quando controuersiam habent, ad iudicem confugiunt. Porro ad iudicem ire, est ad iusticiam ire. Iudex enim uult perhiberi **VIVA IUSTICIA**, & querunt iudicem mediatorem, & quidam uocant mediatorem ut significent se ius consecutos esse, cum medium consecuti sunt. Iustum igitur medium quiddam est, sicut & iudex medium querit.

Initio repetit suo more quædam de iusticia distributione, quod uersetur in distributione communium bonorum. Tunc enim distributione utimur quædam

do ex uno genere rerum, ut præmiorum, pœnarum, pecunias distribuimus certo ordine multis. Ideo distributio omnis uelut ex communi per certos gradus fit. ut cum in communi conuiuio distribuitur singulis unum certis gradibus quantum cuiuslibet opus est. Item ex certis pœnis qui gradus competant singulis in illa infinita multitudine delinquentium, gradus enim hi constituuntur ubi certum genus rerum est, quod non est suscepturum multis, nisi certo ordine distribuatur.

In distributina iusticia seruatur æqualitas geometrica, hoc est iuxta proportionem, ut cum gregario militi datur præmiũ aurei ducenti, duci præclare merito decernitur statua. Hæc nullo modo sunt paria. Nam & fieri potest, ut statua minoris ualeat aureis centum. Et nulla quamlibet magna pecunia par est meritis ducis re ipsa. Quis enim parem gratiam reddere possit fortissimo principi Friderico Duci Bauariæ, Comiti Palatino, cuius consilio summa celeritate præsidium contra Turcas cum irrumperent in Austriam Anno 1529. cõparatum est, & de fensa Vienna, & inhumanissimus hostis repressus & à cervicibus nostris depulsus. Sed quia uelut ex uno acervo dantur præmia, non possunt dari paria meritis. Nam ad eam rem infinita copia opus esset. Ideo sunt certi gradus, & melius meritis ex superiore gradu

gradu decernitur præmium. Hæc plana & intellectu facilia sunt.

In commutatiua iusticia quæritur æqualitas proportionem Arithmetica, hoc est ubi simpliciter par est res rei sine comparatione circumstantiarum, seu ubi simpliciter numeri congruunt, etiam si non congruant proportionem. ut si dicam, inter Christianos non oportet æqualitatem facultatum esse, iuxta proportionem Arithmetica, hoc est, non oportet singulorum facultates re ipsa pares esse. Videlicet si Paulus tantum habeat centum aureos, non oportet Carolum Cæsarem tantum habere aureos centum.

Ideo autem conuenit huc proportio Arithmetica, sicut enim in proportione Arithmetica tantum consideratur numerus in excessu & defectu non proportio, ita hic in contractibus tantum consideratur numerus in damno & lucro, non proportio. Nam idem uinum non pluris uenditur principi, quam plebeio. Ita quadrat huc exemplum arithmetice proportionis. Neque enim aliter inueniri certo potest, quantum sit damnum, nisi hac Arithmetica supputatione atq; comparatione, in qua inuenitur excessus numeri. Deinde deprehenso excessu, potest constitui medietas Arithmetica, quæ æqualitatem inter extrema restituit, hoc modo. Si em-

O 3

ptor ha

ptor habeat mercem. 7. uenditor precium. 3. Medietas Arithmetica. 5. duplata summam extremorum efficit, scilicet. 10. Hac summa equaliter diuisa singuli habebunt. 5. Merces igitur & precium iterum coniungantur & de merce tantum sibi adimat emptor, ut tantundem habeat uenditor quantum ipsi reliquum fuerit, ut si emptor emit frumenti Medimnos qui ualeant aureis. 7. soluit autem. 3. iudex coniunget frumentum & precium & coget emptorem reddere tantum frumenti præter tres aureos donec uterque parem numerum habeat uidelicet. 5. Quod si non reddet frumentum, certe precio tantum addet, ut fiat æqualitas. Id enim solum querit iudex, ut æqualitatem efficiat rerum utrinque datarum. Hæc est sententia huius loci, satis plana & perspicua, si quis animaduertit, quomodo huc sit accommodanda Arithmetica proportio. Infra proponitur exemplum sumptum non à numeris, sed à lineis, quod clarius est si lineam duo inter se diuidant, quod si inæquales partes habuerint, iudex coniunget has partes, & rursus diuidet lineam in duo æqualia. Atque ita fiet, ut minus habenti accedat aliquid alterius partis in qua plus erat. Idem prorsus intelligatur in illo numerorum exemplo fieri quod in hoc exemplo linearum fit. Ita facile erit Arithmeticum


meticum exemplum huc accommodare.

Iudex autem æqualitatem efficit tanquam si linea in duo inæqualia diuisa esset, auferret id, quo excedit ea pars, quæ maior est quam dimidia, & adderet minori parti. Quando autem totum in duas partes diuiditur, tum demum cum æqualia accipiunt, fatetur se quisque quod suum est accipere. Porro æquale medium est inter plus & minus arithmetica proportione, atque inde nomen iusti factum est *δικαιοσύνη* a *δίκη* quod totum in medio diuisum sit.

Quando enim sunt duo æqualia: ubi ab altero portio aliqua ablata fuerit & alteri addita, illud deinde excedit duabus partibus alterum. Si enim ablata tantum esset portio, non etiam alteri addita, una parte tantum excederet mutilatam integra. Itaque media hoc est integra linea superatur una parte, & media hoc est integra superat una parte truncatam. Hinc sciemus quantum auferendum sit ab eo qui plus habet, & quantum addendum illi qui minus habet. Nam id quo media hoc est inte-

gra linea superat, addi oportet minus habenti, & id quo media hoc est intergra superatur, a maxima auferendum est, ita erunt æquales.

Sint enim æquales lineæ tres,



Et ab a ————— b auferatur quadrans, & addatur lineæ c ————— f sitq; quadrans qui accessit h ————— e

Tota igitur lineæ h ————— e
 ————— f excedit truncatā duobus quadrantibus. Excedit igitur in lineæ mediam c ————— d uno quadrante.

a ————— b Truncata exceditur duobus
 c ————— d nō truncata
 (exceditur uno
 e ————— h ————— f producta ex
 cedit duobus
 quadrantibus.

Idque fit & in alijs artibus. interirent enim nisi quantū & qualiter agens agit, tantum & talimodo patiens pateretur.

Cæterum

Cæterum nomina lucri & damni ex uoluntarijs cõtractibus sumpta sunt. Nam in emptione, uenditione & similibus contractibus iure concessis, lucrari dicitur ille, qui plus accepit, quam quod suum erat. Et damno afficitur is qui id quod antea tenebat amittit. Econtra quando neque plus neque minus habent, tenere sua dicuntur, & nec lucrati, nec damno affecti existimantur. Quare iustum medium est inter lucrum & damnum, ut æqualia uterque obtineat ante & postea, præterquã si quis uolens & ultro alteri aliquid remiserit.

Plenisime tradit Aristoteles quomodo in commutatiua oporteat æqualitatem effici, uelut una linea in duas partes æquales diuisa, quarum si cuilibet contrahenti contingat una pars, habebunt æqualia. Porro & hic textus & superiores ita facillime intelligi poterunt, si partes intelligantur, merx & præcium. Quando igitur merx & præcium sunt æquales partes, sicut due partes lineæ sunt æquales, si sit diuisa in duo æqualia, tunc est iustus contractus. Prolixe autem ostendit, quod sicut in lineis apprehenditur quantum uni detractum sit, & quantum alte

tum alteri accesserit, ita in merce & precio animad uertendum esse, & equalitatem tanquam linearum efficiendam esse.

Postea addit in omnibus artibus in commutando talem equalitatem mercis seu operarum & precij seruari oportere. Postremo admonet hic usurpationem nomen lucris & damni, sicut in contractibus usurpatur, uidelicet ne quis intelligat illi lucrari, qui plus habet plagarum. Et addit epilogum, iustum esse, medium quoddam, Medium autem uocari id quod equale est, sicut geometer in diuisione lineae medium uocat equale inter partem longiorem & partem breuiorem. Ita hoc loco medium ait esse equalitatem inter lucrum & damnum. Sed est addita particula παρά το ἐκόνσιον, ubi breuitas subobscuram reddit orationem. Sed haec est meo iudicio sententia, τὸ ἴσον ἐξ ὑπὸ παρά το ἐκόνσιον. Medium est equalitas lucris & damni praeter uoluntarium id est nisi quis uolens aliquid de suo remittit ut cum glaucus uolens permutat auream panopliam aenea, non est equalitas lucris & damni, sed glaucus uolens concedit de suo. Excipit igitur hic donationem in qua ultro damnum facimus. Caeterum postea disputabit, scienti & uolenti non fieri iniuriam, quare hoc damnum cum uolens de meo concedo non est iniuria. Itaq; in eo casu fit, ut medium non sit equalitas

litas lucri & damni, quoniam alter uolens de suo concessit. Ac uidetur mihi prudenter & necessario excepisse hunc casum in hac disputatione, de æqualitate Lucri & damni, nisi enim adiecisset hanc correctionem, uideretur tanquam iniustos accusare omnes illos contractus, in quibus ipsi uolentes aliquid remittimus.

REPREHENSIO DEFINITIONIS

nis Iusticiæ quæ est à Pythagora tradita.

Videtur autem quibusdam iustum simpliciter esse pati mutuum, sicut pythagorei dixerunt. Definiebant enim simpliciter iustum esse mutuum pati. Verum hæc uicissitudo patiendi non conuenit neque iusticiæ uniuersali, neque particulari. Particularem enim uoco politicam, quæ res cõmunicat, mutuum enim pati neque distributiue neque commutatiue conuenit. Atqui & Rhadamantus uidetur idem sensisse, qui docuit hoc ius esse.

Iusta malis hæc admissio pro crimine poena est.

Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi.

Verum longe aliter se res habet,

ut si

ut si magistratus uerberat, non licet refertire, & si quis uerberauerit magistratū non solū uerberandus erit, sed etiā capitali supplicio afficiendus. Preterea differunt uoluntariū & inuoluntariū delictū.

Absoluit Aristoteles species iusticiæ, uniuersalē particularem, distributiua, cōmutatiua, nunc insituet alias quasdē diuisiones. Sed obiter prius agitat definitionē iusticiæ à pythagora traditam, qui dixit iusticiam esse pati mutuu, et admonet hanc definitionem nō satis aptam esse. Quamquam enim si quis dextre intelligat, defendi possit. Tamen uerū est aliquanto eam minus propriam esse, quā Dialecticum definire decet. Verū est enim, quod non semper eadem in specie patiuntur hi, qui intulerunt iniuriam. Est enim maiori pœna afficiendus qui uerberat magistratum, quā qui uerberat priuatum. Et in contractibus plerūq; aliud pro alio reddi solet, operæ pro frumento, pecunia pro panno. Quare Pythagoras non satis proprie locutus uidetur. Verū si ciuilitate intelligitur dictum eius, non dissentiet ab alijs definitiōibus iusticiæ supra traditis. Versatur enim omnis iusticia in comparatione certorum officiorum aut rerum quæ alijs competunt. Has uices Pythagoras significare uoluit, non quod idem in specie reddatur, sed idem in genere,
aut

aut pro proportione. Plato in primo de Repub. ad eundem modum cauillatur definitionem à Simo- nide traditam, quam mutuati ab eo Iurisconsulti, ho- mines docti & prudentes maxime probant, uideli- cet, Iusticia est quæ cuiq; debitū reddit τὰ ὀφειλόμενα ἐκείνων ἀδολογῶν. Item τὸ προσήκον ἐκείνων ἀδολογῶν. Aptissima definitio est, & dex- tre intellecta, tum uniuersalem, tum particularem complectitur. Miræ tamen ludit Socrates eam exagi- tans. Nihil enim non potest deprauari dicendo. Ve- rum interdum prodest, ad exercēda atq; acuenda in- genia, in scholis improprie dicta notare atq; agita- re, si tamē modus quidā adhibeatur, & postea inter- pretatio commoda addatur. Primum autem in hoc loco opponit Aristoteles exempla ex iusticia distribu- tiua in quibus apparet iusticiam non omnino esse idem pati.

Cæterum in rebus pub. constat crebro poenam ta- lionis exerceri, ut in paribus, ubi id concedit propor- tio. Et de hac poena talionis intelligi uersus Rhada- manti debet. Atq; hæc lex & noticia diuinitus ho- minibus insita est, qua iudicant iniurias pensandæ esse paribus poenis. Et quidem Deus obseruat ipse suam legem, etiam ubi cessant magistratus, ut cum- punit homicidas, qui humana iudicia euaserunt, cum- tyrannos & seditiosos uicissim occidi curat. Ideoq;
Christus

Christus admonet nos huius legis. QVA MEN
 SVRA mensi fueritis, eadem remetietur uobis,
 ut testetur Deum non negligere nostra bene ac secus
 facta, etiãsi negligant homines. Si liberalitate tua
 pauperes ac precipue sacerdotes iuueris, uicissim
 fortunas tuas augebit, si ex alieno rapueris, uicissim
 eris predæ alijs. Si detraxeris de existimatione &
 fama aliorũ uicissim male audies idq; autore Deo, eti
 amsi magistratus & humana iudicia conticescant.
 Satis multa exempla habent omnes historiae, & ut
 non requirantur ex libris, hæc ætas plurima nobis
 exempla præbet, quæ meminisse debemus, ut discas
 timere iudicium Dei.

Sed iustum in contractibus continet
 illam uicissitudinem, non secundum
 æqualitatem. Ciuitas enim ita conserua
 tur retributione iuxta proportionẽ. Aut
 enim querunt retaliare iniuriam, quod
 si non faciunt, seruitus subeunda est. Aut
 beneficium rependi uolunt, quod si nõ
 fiat, communicatio existere non potest.
 Conseruantur autem respublicæ com
 municatione. Ideo Gratiarum templa
 in medijs urbibus condi solent, ut mu
 tua sit retributio, hoc enim gratiarum
 proprium est, ut is qui beneficiũ accipit,
 uicissim

uicissim aliquid reddat ei, à quo accepit.

Porro copulatio contrahentium ex diametro retributionem facit, iuxta proportionem, ut sit faber a, sutor b, domus c, calcei d, oportet fabrum sutoris opus accipere & reddere suum opus. Itaque si primum æqualitas operum iuxta proportionem constituatur, deinde fiat eorū permutatio, erit societas ciuilis. Sin autem non habebitur ratio æqualitatis in commercijs, non erit æqualitas, nec conseruabitur ciuitas. Cum enim sæpe accidat unius opus, alterius opere prestantius esse, necesse est ea ad æqualitatem redigi, idq; accidit & in alijs artibus, quæ interirēt omnes nisi quantum & qualia agit agens, tantū & talia pateretur patiens. Non enim ex duobus medicis fit communicatio sed ex medico & agricola. Et omnino ex dissimilibus artificijs, quorum opera ad æqualitatem redigi oportet.

CAUSA NUMI INVENTI.

Ideo omnia, quæ permutantur, debent inter se aliquo modo cōparabilia esse.

Quare

Quare numus inuentus est ut quasi me-
dium sit, cuncta enim metitur. Et quo-
rum precium maius sit, & quorum pre-
cium minus sit iudicat, uidelicet quod
calcei æquare possint domum aut fru-
mentum. Totigitur pro domo aut fru-
mento calceos dari oportebit quantum
ædificationis impensæ superant calcea-
rij impensas. Nisi enim talis fiat æstima-
tio, non possunt fieri commercia, neq;
existere communicatio.

Non potest autem fieri æstimatio,
nisi res aliquo modo redigantur ad
æqualitatem. Quare oportet aliquid
esse, quod unum metiatur omnia & ad
æqualitatem redigat. Hoc re ipsa est indi-
gentia, quæ coniungit indigentes, & co-
git alia ab alijs sumere. Si enim nulla re
egerent homines, aut non utrinque, aut
nulla prorsus fierent commercia aut nõ
æqualia. Numus autem factus est ex
pacto, ut sit uice eius quo alij indigent.
Ideoque appellatio nominis non à
natura, sed à lege est, & in hominum ar-
bitrio est mutare estimationem numi,
& prorsus abrogare.

Paulo

Paulo ante cœpit reprehendere definitionem Pythagoræ, qui dixerat iusticiam esse mutuum pati & inicio posuit rationem ex distributiua iusticia, hic opponit rationem ex iusticia commutatiua, quia non redduntur eadem pro eisdem, ut triticum pro tritico, uinum, pro uino. Sed necesse est alia reddi, ut pro uino, pecuniam aut triticum. Itaque iusticia non est proprie mutuum pati, hoc est idem reddere, sed æqualia secundum proportionem reddere.

Et hic pluribus uerbis disputat, quod oporteat mercem & precium ad æqualitatem redigi, sicut supra dictum est, oportere æqualitatem arithmetice præcij & mercis existere in contractibus.

Sed tamen ipsa merx prius æstimanda est geometrica comparatione, uidelicet ex indigentia quæ cõstituit gradus præcij. Tunc triticum ualet pluris cum magis indigemus. Et in genere ea res pluris ualet, qua magis indigemus. Primum igitur ostendit quæ sit causa, quæ redigit res ad æqualitatem, hanc dicit esse indigentiam. Hæc enim primum cogit homines inter se contrahere & res cõmutare, ut accipiant ea quibus egent, & pro ijs quibus abundant.

Deinde hæc etiam exæquat res nullo modo pares. Nam is qui abundat auro, si careat frumento, in fame frumentum tanti æstimat, quanti aurum. Deinde

P rebus

rebus ex æquatis datur nummus uice earum rerum quibus alij indigēt. Non enim singuli habemus omnia, quibus quilibet indiget, seu ut iuriconsultus inquit. 77. de contrahenda emptione. Quia non semper nec facile concurrebat, ut cū tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem ego haberem, quæ tu accipere uelles, electa materia est cuius publica & perpetua æstimatio difficultatibus permutationū subueniret. Hæc est causa inuenti nummi, qui postquam repperitus est, quia publice notus est, facile ostendit mercium præcia. Ideoq; mensura mercium dicitur. Hæc est summa huius loci.

Itaque tunc erit uicissitudo, quando res ad æqualitatem redactæ sunt, ut sicut agricola se habet ad sutorem, ita se habet ad opus sutoris ad opus agricolæ. Oportet autem in permutando redigere res in figuram proportionis, quod si non fiet, alter contrahentium habebit utrūque excessum. Verum quando suum quisq; habet, tunc est æqualitas, & potest inter eos existere communicatio, cū inter eos fieri possit æqualitas, ut pares sunt: Agricola A, & sutor B, si uterq; indiget ope alterius. Constituatur ergo frumentum C, & calcei frumento p̄a
res

res D, Quod si hoc modo non fieret uicissitudo, non posset existere communicatio.

II Quod autem indigentia coniungat eos uelut uinculum, manifestum est. Si enim non egerent homines, nulla fieret permutatio, uerum cum indiget alius eo quod habet quispiam, contrahunt. Ut pro uino dant frumentum exportandum, hæc igitur æquari oportet. Quanquam enim in præsentia non egeat uenditor, tamen profutura permutatione, cum etiam indigebit ipse alijs rebus, datur nummus quasi uas, quare rectum est dato nummo accipere mercem. Et si hoc quoque nummus patitur, ut interdum dubia sit æstimatio. Non enim semper tantumdem ualet. Verum plerumque eadem nummi æstimatio manet. Ideo oportet omnium rerum certa precia constituere. Sic enim poterit, & permutatio fieri, & existere communicatio.

Nummus igitur uelut mensura res ipsas metiendo redigit ad æqualitatem. Neque enim existeret commu-

nicatio sine permutatione, neque permutatio, si non fieret æqualitas, nec æqualitas existere potest sine mensura. Natura autem res non sunt inter se pares, sed propter indigentiam pares æstimantur. Neceffe est autem unam quãdam communem rerum mensuram esse, de qua neceffe est, ut inter se prius cõnenerint homines. Ideoque, nomisma appellatur. Hoc omnia redigit ad æqualitatem, metitur enim omnia, Sic domus A, minæ decem B, lectus C, & a sit dimidium, b hoc est domus ualeat quinque minis, lectus autem sit decima pars pecuniæ b, hinc ratiocinando apparet quinq; lectos domui æquales esse. Et hoc modo permutatio fuit ante usum nummi. Neque enim interest, utrum quinque lecti pro domo, an precium quinque lectorum dederit.

III Quid sit iustum dictum est hactenus, quæ postquam exposita sunt, constat ius esse medium inter iniuriam inferre & accipere. Alterum enim est plus habere, alterum minus. Iusticia autem

tem mediocritas est non ut reliquæ uirtutes quas supra recensui, sed quia circa rem mediam, hoc est æqualem uersatur. Iniusticia autem uersatur in exuperantia & defectu. Et iusticia est secundum quam iustus dicitur agere iusta eligens consulto, & distribuens sibi erga alium & alteri erga alterum, non sic ut sibi plus boni tribuat, minus autem alteri. Econtra mali plus alteri quam sibi, sed ut æqualitatem pro proportione seruet. Idem faciet, cum alteri distribuet erga alterum. Iniusticia uero contra est iniusta eligere, uidelicet exuperantiam aut defectum boni, aut mali non seruata proportione. Ideo iniusticia est exuperantia & defectus, quia uersatur in rebus exuperantibus aut deficientibus. Nam sibi quidem plus occupat boni & minus mali, sic & alijs distribuens, huic plus boni, illi plus mali. Ac utraque distributio fit contra proportionem.

Inter iniurias autem defectus est accipere iniuriam, exuperantia autem inferre iniuriam, de iusticia autem & iniu-

sticia, quæ sit utriusque natura, dictum sit hoc modo, similiter de iusto & iniusto uniuersaliter.

III Cæterum cum non statim iniustus sit, qui iniuriam facit, qualia delicta iniustum efficiunt in unaquaq; specie, ut furem, mœchum & Aut nihil ne intereſt, quo animo fiat? Si quis enim cum aliqua muliere concumbat sciens, neque tamen id faciat studio nocendi, sed libidine, iniuriam quidem facit, et si nondum iniustus est, ita nec fur est et si furatus est, nec mœchus & si mœchatus est, similiter et in alijs dicendū erit. Quomodo igitur iustum sit iniuriã pati, dictum est.

Initio repetit supra institutam sententiam, quod oporteat res in commutatione ad æqualitatem redigi, nisi enim æqualia pro æqualibus dari possent, nulla existere commutatio æqua posset. Deinde docet quod indigentia efficiat illam æqualitatem & si res natura non sunt pares. Et quia necesse est res exæquari, oportet esse mensuram notã, iuxta quam res æstimentur. Hæc mensura nummus est publicæ notus omnibus, ut si uelit mercator Britannus æstimare mare pannum uenalem, agri Britannici precio, non sciet

sciet emptor germanus quanti sit ager. Ideo certa
& nota mensura sumenda est.

Tertio repetit in fine, ut solet, quid sit iusticia, quæ
sint extrema, quod medium.

Quarto addit quæstionem quid intersit inter de
licta consulto facta, & aliqua perturbatione animi
facta, sed hanc quæstionem non explicat. Est autem
hæc sententia: fines discernunt habitus. Cum igitur
nō hoc fine ut noceat stuprator stuprū fecit, non
dicitur proprie iniustus, sed libidinosus. Iniusticiæ
enim finis est, alteri nocendi consilium.

Sciendum est autem quòd hætenus
de eo quod simpliciter iustum est, seu
de civili iusto diximus, hoc enim uer-
satur in mutua communicatione re-
rum, ut homines libere atque æquo in-
ter se iure uiuentes habeant uitæ præ-
sidia uel pro proportione, uel æqua-
li numero. Nam ubi hoc non fit, in-
ter hos non est civile iustum, sed simi-
litudine quadam iustum dicitur. Iu-
stum enim est inter eos qui certa lege in-
ter se contrahunt. Lex autem pro-
hibet iniusticiam, iudicium enim iu-
sti atque iniusti diiudicatio est. Et
ubi iniusticia est, ibi est & qui iniuri-

am facit. Cæterum non semper iniuriam facere iniusticia est, ut si quis casu læsit aliquem. Est autem iniusticia sibi plus boni tribuere aut minus mali.

II. Ideo non concedimus ut homo imperet, sed ratio. Nam homo hoc sibi tribuit, & fit tyrannus, at magistratus debet esse custos iusti. Quod si custos fuerit iusti, erit & æqualitatis custos. Non enim sibi plus experet, si fuerit iustus. Nec sibi plus boni tribuet, quam quantum pro proportione sibi competit. Ideoque alterius utilitati seruiet.

Proinde iusticiam aiunt alienum bonum esse, sicut & prius dictum est. Quare & merces quædam iusto principi debetur, honos uidelicet & præmium. Qui autem nõ contenti sunt his, tyranni fiunt.

At iustum herile & paternum non est plane idem quod ciuile iustum, & si simile ei est. Dominus enim aut pater non est proprie iniustus erga suos. Nam & mancipia & filij donec in potestate patris sunt, ueluti pars ipsius sunt. Neq̃
mo

mo autem seipsum uult ledere. Ergo non est iniusticia erga seipsum.

In his igitur non est ciuile iustum aut iniustum, quod lege descriptum est, & in his uersatur qui lege reguntur, qui quidem sunt pares in imperando ac paren- do. Magis igitur iustum erga uxorem existit, quam erga natos aut seruos. Sed hoc quoque œconomicum iustum est aliud à ciuili.

Discernit iustum Herile, quod uersatur inter nos & res nostras à iusto Ciuili quod uersatur in- ter diuersos ac pares. Nam dominus & pater cum suis rebus utantur seu membris suis non seruāt eam œqualitatem erga illas, ut erga alios: Iusticia autem est erga alios. Vocat igitur iustum ciuile quod mu- tuam œqualitatem inter pares conseruat iudicio ra- tionis. Ideoq; addit oportere illud iustum legibus definitum esse, quod leges ostendunt, quid sit æquū, quidque pariter proficit magistratibus & ciuibus. Nam ubi tyranni sine legibus imperant, non impe- rant ea quæ pariter profunt ipsis & ciuibus. Et hic locus docet præclare nos de dignitate legum, quare necessarie sint, uidelicet ut œqualitatem in- ter magistratum & ciues efficiant, ne magistratus plura imponat, quam lex & recta ratio præscri-

bit, quemadmodum tyrannicum necant infontes, cum eripiunt uitam & fortunam infontibus pro arbitrio, plura auferunt quam quæ competunt ipsis. Est igitur inæqualitas, cum iustum magistratum ea tantum auferre conueniant, quæ sunt æqualia, hoc est quæ sunt lege definita.

DIVISIO IURIS IN IUS

naturale & ius positium.

Ciuile iustum duplex est, naturale ac legitimum. Naturale est quod ubique eandem uim habet, nec ualet quia ita placuit, aut non placuit. Legitimum autem est quod initio nihil differt, sic aut aliter constituatur, sed tum demum ualet, cum constitutum est, ut mina captium redimere, aut capram sacrificare, non duas oues, & quidquid de singulis legum conditores constituunt, ut Brasidæ sacrificare, & decreta quæ quotidianæ proponuntur.

Quidam existimant omnia iura tantum lege ualere, non natura, quia quod naturale est, immutabile est, & ubique uim habet eandem, ut ignis utricumque & apud

apud Perfas, iura uero mutari uident. Verum hi errant. Non enim omnia lege tantū ualent, sed aliqua etiam natura. Ac apud deos fortassis secus fit, apud nos autē quædam naturalia mutabilia sunt, non tamen omnia, & tamen in his quæ mutabilia sunt, quædam sunt naturalia, quædam non sunt naturalia.

Hic locus imprimis utilis est, & inter elementa iuristradi & uarie agitari solet. Continet enim diuisionem iuris in ius naturale & posituum. Sic enim uulgo uocatur id quod Aristoteles nominat Legitimum, ius naturale describit ex effectu, quod apud omnes homines eodem modo se habet. Nos ex causa formali sumemus definitionem. Ius naturale est noticia seu iudicium de iustis & iniustis, quod diuinitus inditum mentibus nobiscum nascitur. Eruditi uocant has sententias de moribus nobiscum nascentes, principia practica. Sicut enim aliarum artium principia (hoc est communissimæ sententiæ, ex quibus postea ingeniosi & periti homines collegerunt artes) nobiscum nascuntur, ita de moribus nobiscum nascuntur communes sententiæ, quæ pepererunt omnes leges in rebus publicis, & omnem doctrinam de moribus. Sicut autem
 ipsa

ipsa mens uere est opus Dei, ita hoc lumen rationis uere est donū & opus Dei. Ideo recte dicunt iurisperiti, ius naturale esse ius diuinum. Nec aliud est quam ipse decalogus, qui ideo in tabulis Mosi scriptus est & cœlesti uoce promulgatus, ut ratio haberet testimonium Dei expressum, & intelligeret hoc naturale iudicium uere esse ius diuinum. Præterea quædam leges etiam in illis tabulis clarius proponuntur, quam ratio nunc post peccatum originis iudicare solet. Nam humana ratio dubitat de Deo, de pœnis & præmijs. Ideo prima tabula docet clare Deum esse, iustos Deo curæ esse, impijs propositas esse pœnas. Item ratio non damnat concupiscenciam quæ ibi prohibetur. Atq; hoc discrimen inter tabulas Mosi & legem naturæ obseruandum est, & si semper hoc tenendum est, leges in natura scriptas easdem esse, quæ in decalogo traditæ sunt.

Hinc autem præstantia naturæ humanæ intelligi potest, quod summa sapientia Dei in mentibus nostris scripta est, idq; est quod scribitur hominem ad imaginem Dei conditum esse, hoc est gerentem imaginem sapientiæ ac iusticiæ Dei. Nam si natura humana integra esset & cognosceret Deum, & legi Dei ex animo obtemperaret, haberet quandam similitudinem diuinæ iusticiæ, quia cum uoluntate Dei congrueret. Verum rursus hic considerari debet quanta

quanta sit magnitudo peccati originis, hæc imago hæc sapientia, hæc iusticia corrupta est per peccatum originis. Nam & si quandam noticiam legum naturæ retinet, tamen non obtemperat, non credit minis aut promissionibus Dei, nec timet nec diligit Deum, tantum legem de ciuilibus & externis moribus utcunq; intelligit & facere potest. Ideo lex est in lapide picta, ut significet quales nunc sint homines in quibus Deus scripsit legem, uidelicet lapideis peccatoribus, quod nõ sentit, non exaudit promissiones aut minas Dei, non uere obtemperat legi. Hæc ideo dicta sunt, ut intelligatur ius naturæ uere ius diuinum esse, cuius explicatio decalogus est.

Cum autem doctrina philosophorum, pœnarum & publicæ leges de uita ciuili hinc sumantur, de his quoq; si tamen rectæ rationi consentiant, sciendum est quod Dei dona atq; oracula sint, quia sumuntur ex sentencijs diuinitus in natura scriptis.

IUS POSITIVVM QUID SIT.

Ius posituum est quod non precipit natura fieri sed ualet propter autoritatem magistratum, ut ius ris positui est, furem laqueo punire, non succedere in foedum puellam. Sicut autem supra dixi, ius naturale esse principia practica & conclusiones ex illis ductas per demonstrationem, ita hic obseruandum est, ius

est, ius positum esse determinationem talium conclusionum generalium ad certam circumstantiam propter probabilem aliquam rationem, ut iuris naturalis est, furtum esse puniendum, hanc determinat magistratus, cum sit generalis propositio, ad certam formam propter probabiles rationes. Sicut artifices in omnibus artibus, cum circa singularia uersantur, determinant præcepta generalia ad certum modum propter uarietatem circumstantiarum, ut medicus, cum ars præcipit frigida dari, alijs magis frigida, alijs minus dat, quia multæ & diuersæ causæ concurrunt. Ita magistratus duriores leges imponit ferocibus ingenijs quam mansuetis. Colligit igitur probabiles rationes, quare apud nos proficit capitalem poenam in fures constituere, ita oritur ius posituum ex naturali, quia generales propositiones iuris naturalis transfert ad certam speciem, & quia ius naturale demonstrationes habet, immutabile est, quia alijs temporibus, alijs locis, aliæ rationes occurrunt probabiles.

Postea uero ius posituum habet autoritatem multo magis propter autoritatem magistratus, quàm propter rationem, quia natura præcipit magistratui parere. Itaque cum leges magis ualeant propter autoritatem magistratus, quam propter rationem, non sunt calumniandæ leges, etiam si ratio non statim cerni

tim cerni potest. Ac maxime Christianos decet honorifice de legibus sentire, etiam si rationes earum non norunt, propterea quod scriptura maximi facit auctoritatem magistratus, et ipsas leges uocat ordinationes diuinas. Quare tanquam dei oracula uenerari debemus. Et sicut uicia magistratum dissimulare necesse est, ita uicia legum boni consulenda sunt. Ideoque et iureconsultus uetuit curiose disputari aut queri legum rationes, cum inquit: Non omnium que a maioribus constituta sunt ratio reddi potest.

Obseruandum est autem omnia immutabilia, hoc est que habent necessarias causas in natura, seu demonstrationes esse iuris naturalis. Voco autem ius naturale id quoque quod iureconsulti uocant ius gentium, qualia sunt hec: pacta sunt seruanda, res sunt diuidende, contractus instituendi sunt, magistratibus obtemperandum est, latrones bello depellendi sunt et similia, que recensentur π . de iusticia et iure. L. Ex hoc iure. Quia hec omnia habent necessarias causas in natura.

Sed mutabilium gradus quidam sunt, alia sunt simpliciter $\alpha\delta\lambda\iota\sigma\tau\omicron\upsilon\sigma\alpha$, alia non sunt simpliciter $\alpha\delta\lambda\iota\sigma\tau\omicron\upsilon\sigma\alpha$, sed habent in natura quasdam probabiles causas, que magis ad unam partem ducant homines quam ad alteram, etiam si sine insigni corruptione nature

ne naturæ diuersum accidere potest. Vt dextra naturaliter magis utuntur homines, & tamen sine corruptione naturæ sinistra magis uti aliqui possunt. Talia etiam referuntur ad ius naturæ siue ius gentium, ut sunt hæc. Non habere simul plures uxores: Usuras illicitas esse. Hæc aliquando mutata sunt auctoritate legumlatorum.

Diligenter igitur obseruandum est, gradus quosdam esse inter ea quæ dicuntur esse iuris naturalis. Quædam enim habent necessarias causas & sunt simpliciter immutabilia, quædam habent causas graues, quæ tamen quia interdum auctoritate legumlatorum mutata sunt, non habent necessarias causas. Hæc etsi sunt naturæ consentanea tamen differunt a primo gradu & sunt aliquo modo uoluntati magistratum subiecta, quia cum re ipsa sint mutabilia, oportet ea determinari ad alteram partem à magistratu. Ita legumlatores usuras permiserunt & modum in his constituerunt paululum à natura discedentes, sed id faciebant propter communem tranquillitatem hominum, cuius precipue debet habere rationem legislator. Et illa moderatio usurarum non corrumpit naturam, sed aliqua ex parte prodest negociantibus.

Aristoteles facit mentionem Brasidæ, cuius extat historia apud Thucididem libro quinto. Cum
Amphi

Amphipolitani prius coluissent Agnonem Atheniensem tanquam diuum, abolita eius memoria, postea coluerunt Lacedemonium Brasidas. Hoc institutum non habebat in natura causam. Ideo citat tanquam exemplum iuris positiui. Porro Brasidas uictis Atheniensibus occupauerat Amphipolin.

Quæ uero in his, quæ mutari possunt, naturalia sunt, quæ autem non naturalia, sed lege tantum ualeant, tunc intelligi potest, cum consideratur, utrū pariter utraque sint mutabilia. Et transferatur exemplum ad alia quoque. Natura dextra omnes magis utimur, & tamen fieri potest ut homines fiant ambidextri. Verum illa quæ lege tantum ualent utilitatis causa constituta, longe aliter se habent, nec natura ad unā partem magis feruntur, sed similia sunt mēsuris. Non enim ubique æquales sunt mensuræ uini & frumenti, sed ubi euehant, maiores, ubi autem uendunt, minores. Ad hunc modum hæc quæ non sunt natura iusta, sed uoluntate hominum, non sunt similia ubique. Neque enim ciuitates similes sunt. Sed illa forma quæ est secundum naturam, una

Q atq

atque eadem ubique est, eaque est optima.

Leges autem habent se ut uniuersalia ad singularia. Nam actiones sunt innumerabiles, lex autem sui cuiusque generis una est. Est enim uniuersalis. Item differunt iniuria & iniustum, & ius & iusticia. Iniustum enim dicitur id quod uel natura uel lege prohibetur, sed cum factum est, iniuria dicitur, priusquam autem factum est nondum dicitur iniuria, sed iniustum. Quando enim factum est, iniuria est. Sic & ius, genus est autem iuste agere. Verum ius dicitur iniuriæ emendatio. Cæterum quæ sint species singulorum, & circa quæ uersentur, deinceps considerandum est.

Admonet gradum quendam esse naturalium, quæ sunt mutabilia, hæc autem sunt, ut supra dixi quæ habent probabiles rationes in natura non necessarias, & tamen magis ad unam partem feruntur, quàm ad alteram, et si sine naturæ corruptione mutari possunt. Aristoteles proposuit exemplum, in quo satis clare conspici potest discrimen naturalium, quæ sunt immutabilia, & quæ sunt mutabilia. Et iubet illud exemplum ad similia transferre.

Quod

Quod in fine dicit: illam formam ciuitatis, optimam esse, quæ sit eadem ubiq; hoc uult, illa præcipua esse & maxime necessaria in ciuitatibus, quæ sunt iuris naturæ, et eam partem esse pulcherrimam partem ciuiliū rerum. Itaq; si quæ est ciuitas, quæ aliqua in re discedit a iure naturæ, non est uocanda ciuitas, sed confusio & barbaries, ut apud Sibaritas profuit uebantur nouæ nuptæ, & alia multa in alijs ciuitatibus contra naturam recepta sunt. In illis ciuitatibus desuit illa optima forma seu pars ciuiliū rerum.

Quod ait leges esse uniuersales, docet leges non posse de singulis casibus ferri, sed genus aliquod in lege poni, ad quod facta similia referenda sint. Sicut & iure consulti scribunt.

In fine est quædam grammatica uocabulorum interpretatio, quæ tamen iudicari nõ potest, nisi cognita græca phrasi. Cæterum præcepta philosophi ca nulla habet.

DE VOLUNTARIIS ET inuoluntarijs delictis.

Postquam exposui quid sit iustum, quid iniustū, addendum est, tunc iuste atque iniuste agi, quando agit aliquis

Q 2 nolens.

uolens. Quando autem agit aliquis non uolens, neque iuste agit, neque iniuste, nisi per accidens, quia agit illa, quibus alioqui sine suo consilio accidit, iustum aut iniustum dici. In iniuria autem & iuste factis consideratur uoluntas, utrum sponte aut non sponte fiant. Vituperatur enim id quod facit aliquis uolens, idque tunc iniuria est. Quare & si aliquid iniustum est, nondum tamen iniuria est, si non sit sponte factum. Voco autem sponte facta, ut & supra dictum est, cum ea quae in potestate nostra sunt & scientes agimus, nec ignoramus aut quem petamus, aut quo, aut cuius causa, ut sciendum est quem uerberet, & quo, & cuius causa. Ac nihil horum per accidens eueniat, aut ui, ut si quis pulset alium, ipsius manum sumens, is se pulsat non uolens, non enim situm est in sua potestate. Item accidit ut patrem aliquis uerberet ignorans esse patrem, & si uidet hominem esse, aut aliquem ex his, qui adsunt. Ita iudicandum est & de fine cuius causa aliquid agitur & de tota actione.

DE INVOLUNTARIO.

Inuoluntarium autem est, quod aut per ignorantiam fit, aut quod non est in nostra potestate, aut quod ui coacti facimus, & si non ignoremus quid agatur. Multa enim quæ natura adsunt, scientes & agimus & patimur, quorum nihil uoluntarium, aut inuoluntarium est, ut senescere aut mori. Talia sunt etiam iusta & iniusta per accidens. Nā si quis uolens propter metum reddat depositum, non meretur dici iustus aut iusta agere, nisi per accidens. Et qui ui prohibetur reddere depositum, per accidens iniusta agit. Duplicia autem sunt uoluntaria. Quædam consulto fiunt, quædam fiunt inconsulto. Consulto agimus, cum præcessit deliberatio, inconsulto agimus, cum non præcessit deliberatio.

DE TRIBVS GENERIBVS
delictorum.

Quædam delicta fiunt per ignorantiam, quædam fiunt a scientibus, sed sine dolo. Tertium genus est illorum quæ fiunt dolo.

Q 3 *Tria*

Tria autem genera sunt delictorum in societate civili, quædam delicta committuntur per ignorantiam, quando agens neque eum quem putabat petit, neque hoc quod cogitauerat agit, neque quo, neque cuius causa cogitauerat. Aut enim nescit se ferire, aut nescit se hac re ferire, aut hunc, aut nescit se alia causa agere, quam cogitauerat, ut feriebat non ut uulneraret, sed ut perstringeret, aut non quem, aut non ut uolebat.

Quando igitur per ignorantiam datum accidit, infortunium est. Quando autem non fit per ignorantiam, uerum sine dolo, delictum est. Delinquit enim is, in quo principium est culpæ. Infelicitas autem est quando principium seu causa foris est. Quando autem nocet aliquis sciens, uerum sine de liberatione, iniuria est, cuiusmodi sunt quæ fiunt per iram aut alias perturbationes, quæ necessario uel natura hominibus accidunt. Qui enim sic ledunt, delinquent & iniuriam faciunt, & hæc delicta sunt iniuriæ. Neque tamen propterea sunt

sunt iniusti aut improbi, non enim dānum dolo factum est. Quando autem nocet cōsulto & cum deliberatione, iniustus & improbus est.

Ideo recte ea quæ per iram facta sunt, non iudicantur dolo facta esse, non enim incipit is qui agit iratus, sed qui ad iram prouocauit. Nec quæritur in talibus iniurijs an factum sit, sed iure ne factum sit. Non enim dissimulat factum is, qui per iram commisit, quia ira exitit propter illatam iniuriam, ut uidebatur. Sed in contractibus secus fit, ubi si quis alterum defraudauit, tantum quæritur an sit factum, quia necesse est eum dolo peccare, cum non habet excusationem obliuionis, sed fatetur se cum illo pactum esse, cum quo litigat. Insidiator autem non agit ignorans. Itaque alius pronunciat in iuria affectus esse, alius pronunciat non esse affectus iniuria. Qui autem cōsulto nocet, iniuriam facit & iniustus est, qui hoc modo nocet, nec reddit paria aut pro proportione. Ad hunc modum & iustus est, si cōsulto & uolens

iuste agit. Tantum autem cum uolens agit, iuste agit.

Egregia regula quando ignorantia habeat excusationem.

Sed delictorum quæ non sunt sponte facta, quædam uenia digna sunt, quædam non sunt digna uenia. Quæ enim delinquunt non solum ignari, sed etiam inuiti propter ignorantiam, uenia digna sunt. Quæ autem admittunt ignari quidem, sed tamen non ignorantia, sed cupiditate aliqua incitati, nec naturali nec humana, non sunt uenia digna.

Prima quaestio utrum scienti & uolenti fiat iniuria, neque uero statim respondet, sed suo more multas quaestiones coaceruat & tandem ad precipuam respondet.

Dubitabit autem aliquis utrum satis dictum sit de iniurijs & utrum hoc fieri possit, quod Euripides adsurde dixit.

Dicam parentem quomodo occidi meam

Volens uolentem, siue uolentem non uolens.

Itaque queri potest utrum reuera possit iniuria fieri uolenti, an non: sed omnis iniuria fiat inuito. Sicut e contra tantum uolens proprie dicitur iniuriam inferre

ferre. Deinde quæritur an hæc semper eodem modo se habeant, uidelicet an quisquis facit iniuriam, uolens faciat, an uero iniuriæ quædam sint dolo illatæ, quædam uero sint iniuriæ, quamuis non sint dolo factæ. Idem quæritur de iuste factis, cum nemo iuste agat nisi uolens. Itaque e regione, si nemo iniuria afficitur uolens, consentaneum uideatur & iusta inuitos pati. Aut si quis iusta patitur uolens, uidebitur etiam aliquis uolens iniuria affici posse. Absurdum autem fuerit dicere quod tantum uolentes iusta patiantur, quidam enim iusta patiuntur & inuiti.

SECUNDA QVAESTIO

utrum iniuria sit dicenda, quoties aliquid mali infertur contra ius.

Et hic obiter admonet quid ad quasdam superiores quaestiones responderi possit, uidelicet quasdam proprie dici iniurias, quasdam dici iniurias per accidens.

Quæri & hoc potest, utrum omnes afficiantur iniuria, qui aliquid patiuntur contra ius, an ita sit iudicandum de

Q 5 passione

passione, sicut dictum est supra de actionibus, uidelicet quaedam per accidens iusta esse. Sic sentiendum est & de iniurijs. Constat enim aliud esse iniuriam facere, aliud contra ius agere, & aliud iniuria affici, aliud pati aliquid contra ius. Hæc ita conferuntur, sicut iure agere, & iure pati. Sicut enim impossibile est iure pati nisi sit, qui iuste agat, ita impossibile est iniuria affici, nisi sit qui inferat iniuriam.

Tertia quæstio est, utrum aliquis sibi ipsi possit iniuriam inferre.

Queritur item, si iniuriam facit, qui uolens lædit, uolentem enim appello, qui scit quem petat & quo & quomodo. Intemperans autem seipsum lædit uolens, uideturque sibi ipsi iniuriam inferre. An contingat ut aliquis sibi ipsi iniuriam inferat. Nam hæc controversia etiam agitur, utrum aliquis sibi ipsi iniuriam facere possit.

Prime quæstionis conclusio, quod uolenti non fiat iniuria.

Cumque incontinens uolens lædatur ab alio, uidetur iniuria affici, nõ tantum

tum inuitus, sed etiam uolens, nisi in definitione iniuriæ, hoc etiam addendum est: Iniuriam esse si quis ledit sciens, quem & quo & quomodo & præter ipsius uoluntatem. Leditur itaque aliquis uolens & iniusta patitur, non tamen iniuria est, si eam uolens accipit: Nemo enim uult ipsam iniuriam. Ac ne quidem ille incontinens uult sibi malum, sed agit præter uoluntatem, nemo enim sibi expetit aliquid quatenus iudicat id esse malum, incontinens autem agit id quod non putat esse agendum.

Sed qui sua donat, ut Homerus ait Glaucum Diomedæ dedisse aurea arma pro ferreis, non afficitur iniuria. Nam in ipsius potestate erat donare, uerum iniuria affici ab alio oritur, non a nobis ipsis. Constat igitur quod iniuria affici non sit uoluntarium.

ALIAE QVAESTIONES.

Reliquæ sunt quæstiones, de quibus dicere instituimus, uter iniustus censendus sit, is ne qui præter dignitatem distribuit

tribuit, an ille qui præmia supra meritum accipit. Item an aliquis possit sibi ipsi iniuriam facere?

R E S P O N S I O.

Quid si prius illud accidit, uidelicet si iniustus est Agamemnon plus tribuens Patroclo quam Achilli, sequitur ut iniustus sit Agamemnon, plus tribuens Patroclo quam sibi, id quod homines modesti facere uidentur, nam modesti extenuant sua merita. An uero hoc non ita se habet simpliciter, tunc enim iniustus esset, si alienum bonum occuparet, ut gloriam alterius aut aliud bonum. Præterea solui hoc potest ex regula supra tradita. Nam Agamemnon alteri plus tribuens, nihil patitur contra uoluntatem suam. Quare propterea non afficitur iniuria Agamemnon, læditur tamen.

Principalis responsio, uidelicet quod distribuens præter dignitatem iniustus sit, non is qui accipit præter dignitatem.

Ceterum constat hunc iniuriam facere, qui distribuit, non eum qui supra meritum

meritum accipit. Non enim iniuriam facit is cui aliquid iniustum tribuitur, sed is qui uolens id facit, quia is facit iniuriam, unde principium est actionis. Id uero est in distribuyente, non in accipiente.

Preterea facere multis modis dicitur, interdum instrumenta dicuntur facere, ut manus & seruus domino mandante cedem facit. Hic instrumenta non faciunt iniuriam, & si iniusta peragunt.

Item iudex si ius scriptum ignorans non recte iudicat, nō facit iniuriam, neque est iniustum iudicium. Est tamen aliquo modo iniustum iudiciū, aliud enim lex est, aliud ius primum ac naturale. Lex ignorari potest, ius primum ignorari non potest. Sed si sciens iniuste iudicat, non seruat equalitatem, sed plus captat gratiæ, aut plus uindictæ expetit. Ut igitur si quis se socium ad iniuriam inferendam alteri addiderit, & si fundum non captat, tamen pecuniam captat, ita iniuste iudicans uelut socium se ad inferendam iniuriam addit, & quanquam nō captat fundum, tamen

tamen plus auferre gratiæ studet, aut odij fructum.

DISCRIMEN ACTVVM ET

*habituum iustitiæ atque
iniustitiæ.*

Præterea homines arbitrantur in sua potestate esse iniuste agere. Ideoque existimant iusticiam rem facilem esse. Verum id longe secus est. Nam uicere uxorem uicini, & uerberare proximum, & argentum manu dare, facilia sunt & in potestate nostra. Sed hæc facere assuesctos atq; habiles, nec facile est nec in potestate nostra. Ita & nosse iusta ac iniusta non existimant sapientiam. Quia facile sit intelligere ea quæ præcipiunt leges. Verum hæc non statim iuste fiunt nisi secundum accidens. Sed tunc iuste fiunt cum certo modo discernuntur.

Difficilius autem hoc est quam enosse quæ ad tuendam ualitudinē conducunt. Quanquam & ibi facile est nosse mel, uinum, helleborum, quid sit uri, quid secari. Verum quomodo hæc ad sania

ad sanitatem conferant, & cui & quando, tanta difficultas est, quam difficile est medicum præstantem effici. Propterea autem putant & iustos non minus posse iniuste agere. Quoniam iustus nõ minus, sed magis etiam hæc potest perpetrare, uiciare uxorem alterius, uerberare alterũ, & fortis potest abijcere clypeum, & uerso tergo fugam dare. At timidum ac iniustum esse, non idem est, quod illa perpetrare, nisi secundum accidens, sed hæc perpetrare assuefactos atq; habiles. Sicut curare & mederi, nõ sunt incidere aut nõ incidere, aut remedia dare & non dare, sed sic dare.

Hæc in speciem absurda uidentur his qui non discernunt inter agentes, qui agunt tanquam habiles & assuefacti, & alios qui agunt non uelut assuefacti, sed uel casu uel certe non semper simili studio. Puer non dicitur iustus, etsi alicubi reddit depositum ac iustum quiddam agit. Nondum enim habilis atque assuefactus est ad iusticiam. Nero non est clemens etsi plurima uidetur humanissime facere non est enim confirmata clementia, sed casu aut simulatione quadam, aut ambitione ducitur, ad humanitatis exempla. Ajax non est timidus, etiam si aliquando

quando perturbatus fugit. Nam animus habet robur quo se tamen erigere solet, & uincere perturbationem. Idq; robur ita confirmatum est, ut non facile debilitetur ac frangatur. In his exemplis lucet discrimen actionum quæ ab habitu oriuntur, & quæ sine habitu fiunt. Idq; discrimen in dijudicandis hominum moribus & factis obseruari debet.

Circa qualia bona uersentur iusti, & quales sint qui iusti euadunt, uidelicet qui proficere possunt in rebus recte expetendis.

Iusta uero cadunt in hos, qui res expetunt simpliciter bonas, qui in illis expetendis aut excellere aut deficere possunt. Quidam autem ita fruuntur bonis, ut non nimium expetant, ut fortasse dii, quidam proflus sunt mali, immedicabiles & inutiles. Alij uero sunt eiusmodi ut aliquousque proficiant, id humanum est.

DISCRIMEN SVMMI

iuris & ἐπιδικίας

Deinceps dicendum est, de equitate & equo & bono, quomodo se habeant equitas ad iusticiam & equum ac bonum ad iustum. Non enim simpliciter idem signifi-

significant, neq; tamen genere diuersa sunt. Interdum enim laudamus æquitatem & uirum æquum & bonum, & translatione quadam pro bono equum dicimus & melius quiddam esse prædicamus æquum quam iustum. Econtra absurdum uideretur laudare æquitatem si aduersatur iusticiæ, si quis expendat hæc subtili ratione. Aut enim iusticia non est laudanda, aut si iusticia laudanda est, æquitas non est laudanda, si quidem aduersatur iusticiæ. Aut si utraq; laudanda est, easdem esse necesse erit. Ad hunc modum dubitari de æquitate solet.

RESPONSIO.

Verum hæc omnia recte dicuntur, si suo queque modo intelligantur, nec pugnant inter se. Nam æquum est iustum & aliquando melius iusto, nec ut contrarium genus iusto melius. Eadem igitur sunt in genere iustum & æquum, & cum utrumque laudandum sit, melius tamen est æquum.

R Habet

Habet & hic locus insignem utilitatem. Ne-
 cesse est enim tenere discrimē summi iuris & Aequi-
 tatis quam nunc quoq; uocant *επιδικαστην*. Itaq; &
 iuris consulti diligenter discernunt scriptum ius ab
 æquitate. Neq; uero tantum in foro ac negocijs sed
 in tota uita, in omnibus actionibus, hoc discrimen cō-
 suli oportet, quia in omni uita incidunt plurima ne-
 gocia priuatim & publice de quibus neutiquam ius
 dicandum est summo iure, ut de amicorum erratis,
 de magistratuum, legum, & iudiciorum erratis,
 quæ dissimulare, excusare, boni consulere magna
 est sapientia & necessaria ad retinendam publicam
 tranquillitatem. Cum enim talis sit rerum humana-
 rum conditio ut nullam uitæ genus, nullæ leges re-
 periri, atq; excogitari possint in quibus nihil sit in-
 commodi ac semper mutatio presentium legum
 plus mali habeat, quam in illis ipsis earum uicijs
 erat, mutatio modis omnibus fugienda est. Huma-
 nissima uox est senis illius in comœdia: Non habeo
 necesse omnia pro meo iure agere. Hanc uocem in-
 culcemus nobis in omni consuetudine uitæ, & tran-
 quillitatis publicæ causa plurima condonemus non
 solū amicis ac magistratibus, sed etiam ipsis legibus
 ac moribus publicis, & eorum errata dissimulemus.
 Subtiliter autem quærit Aristoteles, si Aequitas
 discedit a Iusticia, num sit iniusticia. Quidquid enim
 discrepat

discrepat à iusto, uidetur iniustum esse. Et profecto sic uociferantur homines imperiti atq; inhumani, cum audiunt aliquid esse mali in aliquo more publico. Si quid habet mali hic mos, siquid discrepat à iusto, flagitium est, aboleri necesse est.

Respondet Aristoteles erudite, quod æquitas non discrepet à iusto in genere, sed in aliqua circumstantia. Id est. Honestorum & turpium genera non mixtat æquitas. Ea quæ sunt turpia non approbat: ut cum iudex ignoscit adolescenti cuius uidetur sanabile ingenium esse, non approbat turpitudinem, sed micus punit, aut omnino suspendit pœnam. Ita genera honestorum & turpium manent, sed circumstantia aliqua in eo quod est in genere iustum mitigatur. In genere iustum est uicia punire. Hic iudex mitigat pœnam. Interdum etiam in aliqua circumstantia, cum diuersæ leges concurrunt, uiolanda est lex inferior. Quocies enim diuersæ leges concurrunt, cedit lex inferior superiori, ut si quis sanus apud te gladium deposuit, eumq; reposcat furiosus, lex inferior iubet reddere depositum. At lex superior uetat reddere, uidelicet, Neminem ledas. Pacta sunt seruanda, at si pacta sine scelere non possint seruari, æquitas iubet pacta rescindere. Itaq; æquitas non uiolat iustum in genere, hoc est certam illam rationem quæ regit omnia iusta, sed

R 2 interdum

interdum leges mitigat, aut diuersis legibus con-
 currentibus eam præfert quia est pocior, ut Chri-
 stus uiolat sabbatum, attingit leprosos contra le-
 gem. Concurrerant enim diuersæ leges, ubi pocior
 lex præferenda fuit, uidelicet quæ iubet benefacere
 proximis. Itemque iubet ostendere testimonia do-
 ctinæ. Erant enim miracula illa testimonia doctri-
 næ quia non solum ratio sed etiam ipsa scriptura le-
 gum ordinem, & hanc rationem æquitatis docet,
 ubiq; iubet dilectionem ac pacem cæremonijs præ-
 ferre. Hic fons hæc causa est æquitatis, uidelicet le-
 gum inter se collatio & ipsa legum uoluntas. Vo-
 luntas enim legum est interdum cedere temporibus.
 Et tamen ita cedunt, ut interim alia honesta ratio
 superior regat actionem. Omnia enim iusta regun-
 tur certa ac probabili ratione. Hinc facile intelle-
 ctu est, & quid sit æquitas, & quæ sit æquitatis
 causa, & quo æquitas non discrepet in genere aut
 isto, hoc est a ratione quæ regit iusta. Est itaq; æqui-
 tas mitigatio summi iuris, hoc est, est interdum pœ-
 næ mitigatio, interdum legis alicuius in humani-
 rem ac tollerabiliorem partem interpretatio, aut
 etiam pretermisio, quæ non petulantur aut teme-
 re accidit, sed habet causam in lege superiori aut
 uoluntati legis, ut paulo post elegantissime dicit Ari-
 stoteles: leges ipsas non ignorare sibi aliquid deesse,
 ac po-

ac postulare ut interdum moderationem quandam adhibeamus.

ἐπιδικεῖα iuxta etymologiam sonat conuenientiam, inde transfertur ad æquitatem, quæ agit id quod conuenit, seu congruit locis, temporibus, personis sicut æquum idem est quod æquale, aptum locis, temporibus, personis. ut etiam si summo iure Cæsari licuisset omnes aduersarios perdere, tamen uictori non superbo aptum atq; conueniens, & ut ita dicam æquale erat humanitatis causa, ignoscere pacem petentibus, & propter reipub. dignitatem eos uiros seruare qui ornamento erant isti imperio. Nomen ab ἐπι factum est, quod est in compositione iuxta & ἐκός conueniens assimilatum, ab ἐκώ assimilor.

Hæc enim dissimilitudo est quod æquum est iustum, non secundum legem, sed emendatio legum. Causa autem est, quia omnes leges sunt uniuersales, neq; tamen potest de singulis recte decerni in uniuersali. Cum igitur legem necesse sit uniuersaliter loqui neq; tamen recte de singulis in uniuersali constitui possit, lex id constituit, quod plerumq; faciendum est. Nec ignorat hic si bialiquid deesse. Et tamen lex recta &

R 3 iusta

iusta est. Nam quod lex aliquid omittit, id fit non uitio legis aut legislatoris, sed propter negotiorum dissimilitudinem. Talis enim materia est actionum ut fere aliqua ex parte sint dissimiles in eodem genere.

Quando igitur lex uniuersaliter loquitur, & tamen accidit aliquid ex parte aliqua dissimile illis, quorum uniuersaliter mentio fit, Tunc defectus eius corrigendus est eatenus, quatenus aberrauit legislator. Aberrauit autem propterea, quod necesse est eum uniuersaliter loqui. Ac si adesset legislator ipse, idem pronunciatet & exciperet hunc casum a lege iam lata. Quare iustum est & melius est, non quidem simpliciter sed melius scripto iure, quod nonnihil aberrat. Et hæc est natura æquitatis, emendatio legis, quatenus aliquid omisit propterea quod uniuersaliter loquitur. Hæc est enim causa, quare non semper iuxta leges pronuncietur, quia non possunt de singulis casibus leges ferri. Ideoque & in ciuitatibus fiunt peculiaris senatusconsulta de præsentibus negocijs,

negocijs, ut sit aliqua regula indefinita negociorum infinitorum, qualis Lesbiorum artificum plumbea regula est, quæ accommodatur ad lapides & subinde mutatur, sicut senatus consultum ad præsens negocium accommodatur. Quid igitur sit æquum & quid iustum & quo iusto melior sit æquitas perspicuum est. Hinc etiam liquet quis sit æquus & bonus uocandus, uidelicet is qui talia iudicio eligit atque agit & qui non requirit summum ius in deteriorem partem, sed qui mitigat, & si lex summum ius continet. Et habitus est æquitas, quæ quidem iusticia quædam est, nec est diuersus habitus.

QVOMODO SIT INIVSTVS

dicendus is qui sibi mortem consciscit.

Ex his autem quæ dicta sunt, satis perspicuum est, Vtrum se aliquis iniuria afficere possit, nec ne. Nā lex constituit quæ sint iusta in omni genere uirtutum ut, Nō concedit lex seipsum occidere. Quæ autem lex non concedit uetat. Preterea quisquis sponte nocet contra
legem

legem non laceſſitus, iniuriam facit. Sponte autem dico, ſi quis ſciat quem perat & quomodo. Jam ſi quis ſibi mortem conſciſcit iratus, ſponte facit contra rectam legem, id quod non cōcedit lex, itaq; facit iniuriam, Sed cui: ciuitati ne: ac non ſibi ipſi. Volens enim patitur. At iniuria non eſt dicenda, ſi quis uolēs damnum accipit, itaq; cum puniat ciuitas, uidetur iniuria ad ciuitatē pertinere. Notat enim infamia hos qui ſibi mortem conſciſcant.

Deinde non poteſt fieri, ut qui ſe tantum ledit, iniuſtus ſit, niſi quatenus uiolat uniuerſalem iuſticiam. Inter eſt enim inter iſta. Nam iniuſtum hoc loco ſpecies eſt turpidinis, ſicut timiditas. Nec ſignificat hic uniuerſam turpidinem. Quare qui ſe ledit non eſt iniuſtus ſecūsdum hanc ſpeciem. Simul enim in eodem eſſent, eidem auferre & addere. Hoc autem impoſſibile eſt, ſed ſemper inter plures uerſantur iuſticia & iniuſticia. Item qui iniuriam infert, ſponte agit & conſulto ac prior, qui autem leſus reſtaliat iniuriam, non uidetur iniuſte agere.

re. Sed cum sibi quispiam mortem consciscit, idem & agit & patitur. Præter ea si hæc iniuria dicenda esset, sequeretur iniuriam esse, si quis uolens damnum acciperet.

Præterea nemo est iniustus nisi lædat in aliqua specie iniuriarum. Iam nemo dicitur mœchus cum uxore sua consuetudinem habens, nec grassator si sibi parietes perfodiat, nec fur si suas res auferat. Deniq; sibi iniuriam facere euertitur per ea quæ diximus, quod iniuria non sit appellanda quâ quis sponte accipit.

COMPARACIO VTRVM

*fit maius malum, iniuriam facere, an
iniuriam pati.*

Constat autem utrumq; malum esse, iniuriam facere ac pati, quorum alterum plus est, quam in medio esse conuenit, alterum minus est, sicut in medicina uiciosa sunt quæ aut copia aut defectu corrumpunt sanitatem, quæ medium tenet. Et in gymnastica uiciosa sunt exercitia nimia, aut immodica, quæ bonum habitum, qui quasi me-

R 5 dium

dium tenet, corrumpunt. Verum deteriorius est iniuriam facere. Nam facere iniuriam uiciosum est, & aut uniuersa turpitududo aut prope, interdum enim sponte nocet aliquis & tamen non est iniustus. Sed iniuria affici nō est uiciosum & iniustum, quare minus malum est iniuriam pati. Cæterū per accidens fieri potest ut sit plus mali, sed id quod per accidens fit, nihil ad artes pertinet. Sicut pleuresis maior morbus est quam offensio pedis. At fieri potest ut offensio pedis plus habeat mali, ut si quis lapsus caeperetur atq; interficeretur ab hostibus.

QVOMODO ALIQVID IUSTUM
dicatur erga nos ipsos.

Iustum dicitur aduersus alium sed metaphorice & similitudine quadam dici potest, non alicui aduersus sese, sed erga suos quosdam, uidelicet herile iustum aut œconomicum. Ad hunc modum & iustum quoddam est rationis aduersus partes animæ, quæ ratione carent. Hoc qui considerant, existimant aliquem

aliquem iniustum esse posse aduersum
 sese, uident enim hic alteram partem
 ab altera parte aliquid pari præter suas
 appeticiones. At in his iustum per
 inde est, ut inter principem ac sub
 ditos. Sed de iusticia ac de
 uirtutibus alijs, quæ mo
 res continent di
 ctum sit.

FINIS.

ARGENTORATI APVD
CRATONEM MYLIVM
MENSE MARTIO,
ANNO
M. D. XXXIX.



IN ETHICA PHIL. MEL:

Melchior Acontius Vrsellanus.

Viderat hunc nuper delapsus ab æthere librum
Mercurius, cum sic obstupefactus ait.
Omnia mortales hoc tempore quæritis ægri,
Quicquid habet tellus, quicquid olympus habet.
Discitis innumeras non absq; laboribus artes,
Quas melius fors an non didicisse fuit.
Qui tamen exornent rude pectus, & Ethica discat
Rarior hæc nunquam turba minorue fuit.
Quin potius, frustra, contendunt, ista doceri
Nescio qui nimia religione graues.
At vos qui sapitis, monitus ne spernite nostros,
Eas homines paucis sit monuisse Deo.
Ut fera mansuescit, quam callidus arte magister
Instruit, & certis legibus ire iubet,
Sic homo, præceptis qui pectora talibus implet,
Parte sit excultus nobiliore sui.
Percipit hinc uere quæ sint moderamina uitæ,
Atq; suo dignum nomine præstat opus.
Quid moror c'en breuibus cõplectar ut omnia ueræ
Mortales superis ars facit ista pares. (bis)
Talia Mercurius, tu qui legis, ista uideto
Ut tibi cum multis dicta fuisse putes.

Quid interest inter philosophiā et evangelium
Est ne concessus usus huius. Iure Christianis
Ad quid prodest

Quid interest inter Legem Moysi. Stratonem et philo-
sophiā moralem

Quis est finis hominis

Quis est usus huius precepti de fine usus

Quid sciendum est de Epicuri Opinioe, qui
defendit non voluptatem esse finem bonorum

Quid est uirtus

Quae sunt res uirtutis

Secunda Aristotelica definitioem

Est ne uoluntas humana libera

Quid est affectus

Est ne probanda storiā correctā et simpliciter
omnis affectus improbat

Unde orta est haec dissimulatio affectum in re bono

Quid ait stoicus sensus de affectibus

Recte ne plato dixit bonos malos esse malos

Quae est partitio uirtutis

PHILOSOPHIAE MORALIS Liber II

Est ne simplex usus uocabili

Quot sunt species iustitiae

Quid est iustitia particularis

Quot sunt species iustitiae particularis

Quid est distributio iustitia
 Reditur me dicitur est iustitia est ratio v. proprietas
 hinc
 Quoties est ius
 Est in ius naturalis semper invariabile
 Quid inter est inter finem ius v. equitatem
 Est in iudicandis iuxta equitatem, quod iuxta
 scriptum



Quareto exiit ematam contra ignoratiam
 Cuius dicitur in iudicandis in felicitate
 Luce ne privati interpretentur hinc
 hinc ne constantibus bellum affini v. collega con-
 federatio Luce in tali exortet semita dicitur
 nos
 Vtrum prescriptio exiit v. statum



Hy Ql. apud aristoteli. de misericordia.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

14035

14037

CICERONIS
OFFICIORUM LIB. III